Minor certa est: mater enim Christi virgo semper fuit; sive ante partum, sive in partu, sive post partum; seipsam enim ad virginitatem perpetuo servandam voto obstrinxisse ostendit responsio, quam dedit Angelo incarnationis mysterium nuntianti. «*Ecce, dicebat Angelus, concipies et paries filium.*» Cui B. virgo: «*Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*» id est, non possum cognoscere, propter votum virginitatis, quo obstricta sum. Alias si tantam innuere voluisset se hactenus virum non cognovisse, vana profecto, ne dicam inepta, fuisset responsio: quis enim non videat statim potuisse reponi: Si hactenus non cognovisti, cognosces postea ut prolem suscipias: praesertim cum jam viro foret desponsata? Ita docent communi suffragio SS. Patres: unus hic instar omnium sufficiat S. Augustinus, l. 1, de nupt. et con., c. 11: «*Neque enim, inquit, feliciter ab Angelo dictum est ad Joseph: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatus est prima fide desponsationis, quam concubitu, nec cognoverat, nec fuerat, nec futura erat carnis illa commixtio.*» Et l. de sancta virginitate c. 4, «*Ipsa, inquit, quoque virginitas ejus ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse psaeipuit, sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quae sibi foetum annuncianti Angelo Maria reddidit, Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non*

cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturus, sed potius contra violentos custoditurus, quod illam jam voverat.» Et infra: «Poterat et juberi virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura virginibus . . . virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quod esset conceptura, nesciret, ut in terreno mortalique corpore coelestis vitae imitatio voto fieret, non praecepto, amore eligendi, non necessitate serviendi.»

Et tract. 10, in Joan. ait: «In Maria tunc primum incepisse virginum dignitatem.» Idem affirmant sancti Ambrosius, l. de institutione virginum cap 5; Hieronymus, Epistola 18 ad Eustochium, q. 22. Quod quidem non eo sensu dictum ab illis fuit, quasi ante B. Virginem omnino incognita et peregrina fuisset apud Judaeos virginitas vel etiam probrosa, ut aliqui existimant (extitere enim nonnulli, quamquam infrequentes, qui virginitatem coluerunt), sed quia nullus ante B. Mariam voto se obstrinxerat ad perpetuam virginitatem.

Major vero propositio probatur,

1. Ex Scriptura, Matth. 1, v. 18. «Cum esset desponsata mater ejus (Christi) Maria Joseph.» et v. 20, Angelus ad Josephum: «Noli timere, ait, accipere Mariam conjugem tuam. Idem confirmant tum verba B. Virginis, quibus Josephum appellat patrem Christi, Lucae 2, v. 48. «Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te:» tum Evangelista v. 33, cum ait: «Et erat pater ejus et mater mirantes super his.» Neque vero sic loqueretur tum virgo ad filium suum, nisi Joseph vere fuisset conjux Mariae. Hinc communitis ac per vulgata Judaeorum opinio, qui Jesum et appellabant et putabant esse naturalem Josephi fabri filium, Matt. 13, Lucae 3, Jo. 6, cujus opinionis, tametsi falsae, non alia causa fuit, quam quod notum erat inter Josephum et Mariam verum contractum fuisse Matrimonium, alioquin suam procul dubio spuriam originem Christo Judaeis objecissent.

Probatur 2 ex SS. Patribus.

S. Ambrosius, in lib. de institutione virginum, c. 6, refellens objectionem eorum, qui nullum idcirco putant intercessisse Matrimonium inter Josephum et B. Virginem, quod commixti inter se carnaliter

non fuerint, sic scribit: «*Nec illud moveat, quod ait: Quia Joseph accepit conjugem suam. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur, non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.*» Quae verba laudavit Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, epistola 7, ut probaret non immerito uxorem fratris defuncti ab altero fratre ductam fuisse, quamquam prius Matrimonium consummatum non fuisset, quia sine tali consummatione verum et ratum fuerat Matrimonium, quod non facit coitus, sed voluntas, et citatur ab eodem S. Jo. Chrysostomus: unde concludit, «*fratrem fratri non succedere in conjugium, sed in incestum.*»

S. Augustinus, de bono conjugali c. 1: «*Poterat, inquit, esse in utroque sexu, etiam sine tali commixtione alterius regentis, alterius obsequentis amicabilem quaedam et germana conjunctio;*» et cap. 3, expendens cur conjugium sit bonum, sic loquitur: «*Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem: alioquin non jam diceretur conjugium in senibus, praesertim si vel amississent filios, vel minime genuissent. Nunc vero in bona, licet annoso conjugio, etsi emarcuit ardor aetatis, viget tamen ordo charitatis inter maritum et uxorem.*»

Lib. 23 contra Faustum, cap. 8: «*Neque enim, inquit, loquens de Josepho, quia concubitu non permixtus, ideo non maritus:*» et postea: «*Ut et Joseph Mariae maritus diceretur habens eam conjugem, non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animarum.*»

Lib. 4 de Nupt. et concup., c. 11: «*Quibus vere, inquit, placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit, ut inter illas vinculum conjugale rumpatur: imo firmitus erit, quo magis ea pacta secum inierit, quae charius concordiusque servanda sunt, non voluntariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est;*» et caetera quae mox relata sunt. Si vero rationes et causas rogaveris, ob quas post emissum virginitatis votum B. Maria Matrimonii foedere juncta fuerit cum Josepho, varii varias adducunt, quas consule apud Estium in 4, dist. 30, q. 7.

SECUNDA CONCLUSIO.

Essentia Matrimonii, prout est naturae officium, non videtur reponenda aut in mutuo consensu, aut in contractu externo, aut in mutua traditione corporum, aut in mutua obligatione ad reddendum debitum, aut in jure, quod conjuges habent in invicem.

Probatur 1. quia mutuus consensus internus est causa efficiens Matrimonii; causa vero efficiens formaliter rei naturam et essentiam non constituit.

2. Consensus ille, sicut et externus contractus, transitorius est ac momentaneus, Matrimonium vero firmum ac stabile, nec nisi morte potest dissolvi; igitur essentialis ipsius ratio reponi non debet in actu fluente ac transitorio.

3. Non videtur quoque reponenda vel in mutua corporum traditione, vel in mutua obligatione ad reddendum debitum, vel in jure, quod conjuges habent in se invicem: tum quia mutua corporum traditio, et jus illud, seu obligatio mutua conjugum ad actus conjugales, est quid consequens ipsum Matrimonium formaliter jam constitutum: tum quia potest verum et ratum esse Matrimonium absque illa corporum traditione, et obligatione mutua ad usum Matrimonii, etiam confuse ac implicite spectata, in iis scilicet, qui ex libero, ac mutuo consensu obligant sese ad servandam continentiam.

TERTIA CONCLUSIO.

Essentia Matrimonii, quatenus est naturae, officium videtur reponenda in illo nexu seu vinculo perpetuo, quod ex consensu interno et pactione externa inter virum et mulierem resultat.

Probatur 1. quia in eo videtur reponenda Matrimonii essentia, per quod formaliter definitur: atqui definitur Matrimonium per conjunctionem: «*Est conjunctio maritalis, ait superius adducta definitio, viri et feminae, etc.*» Conjunctio autem illud «*vinculum est, quo conjuges*

ligantur formaliter, non effective, » ait S. Thomas in supplemento, qu. 44, art. 1, in responsione ad 1. Hoc est, conjunctio illa non est formaliter Matrimonium, quatenus efficit vinculum, per mutuum scilicet consensum ac contractum, quo conjuges inter se uniuntur. Videtur ipse S. Thomas sensum hunc innuere, ib. in corpore articuli. « *Constat, inquit, quod in Matrimonio est aliqua conjunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquid unum, et est Matrimonium;* » et in 4 sent., dist. 26, qu. 2, art. 3, in responsione ad 2, « *Actus, inquit, exteriores et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum Matrimonii.* »

Haec videtur pariter esse sententia Catechismi Concilii Trident., part. 2. de sacramento Matrimonii n. 5, ubi sic loquitur: « *Quamvis haec omnia in perfecto Matrimonio insint, consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio, et vinculum, quod ex ea pactione efficitur, et conjugum copulatio, qua Matrimonium consummatur, nihil horum tamen Matrimonii vim et rationem proprie habet, nisi obligatio illa et nexus qui conjunctionis vocabula significatus est;* » et n. 6. « *Ex iis igitur, ait, patet, Matrimonii naturam et rationem in vinculo illo consistere. Nam quod aliae clarissimorum virorum definitiones hoc videntur tribuere: ut cum dicunt, conjugium esse consensum maris et feminae, hoc ita accipiendum est, consensum ipsum Matrimonii causam effectricem esse; quod patres in Concilio Florent. docuerunt. Etenim obligatio et nexus oriri non potest nisi ex consensu et pactione.* »

Probatur 2. quia in eo videtur reponenda formaliter Matrimonii essentia, quod firmum est ac stabile, quemadmodum firmum est ac stabile Matrimonium: atqui vinculum illud seu nexus utriusque conjugis est quid firmum, ac stabile, non fluxum, non transiens: Ergo, etc. vinculum autem illud est relatio realis fundata in actione externa et reali, scilicet contractu externo, per quem conjuges inter se obligantur mutuo in iis quae pertinent ad officia Matrimonii.

Quae de Matrimonio, quatenus est naturae officium, dicta sunt; accomodari facile possunt eidem, quatenus est sacramentum: nempe illud consistere in vinculo illo seu nexu, non quidem ut consideratur in facto esse (Matrimonium quippe, quatenus sacramentum, non habet esse permanens, quemadmodum habet Eucharistia), sed ut conside-

ratur in fieri; idest quatenus nexus ille in esse sacramenti resultat tum ex mutuo contractu conjugum, tum ex actione ministri ecclesiastici conjuges unientis. Videtur haec esse mens S. Thomae loco jam cit. in 4, dist. 26, q. 2, art. 3, in resp. ad 2: « *Dicendum, inquit, quod sicut aqua Baptismi, vel forma verborum non operatur ad gratiam immediate, sed ad characterem; ita actus exteriores et verba exprimentia, consensum, directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum Matrimonii: et hujusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositive operatur ad gratiam.* »

Solvuntur objectiones.

Objicies 1, contra primam conclusionem: Apostolus, Ephes. 5, Matrimonium veluti definiens non obscuro significat corporum conjunctionem pertinere ad ejus substantiam. « *Erunt, inquit, v. 31, duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* »

Resp. his verbis, « *erunt duo in carne una,* » non actum seu usum Matrimonii, sed mutuam translationem dominii in corpus utriusque conjugis, quae tametsi suapte natura et radicali jure referatur ad usum seu consuetudinem conjugalem secundum carnem, ab illa tamen sejungi et separari potest: neque enim necesse est, ut quicumque jus et dominium habet in rem aliquam, eo utatur. Adde quod citatis verbis non tam voluit Apostolus imperare actum seu usum conjugii, quasi foret absolute necessarius; quam prohibere fornicariam vel adulteram conjunctionem; quia nempe conjuges duo sunt in carne una, non multiplici. Seipsum exponit Apostolus, 1 Cor. 6, v. 16: « *An nescitis, inquit, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim duo in carne una. Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem.* »

Instabis 1. Matrimonium, quatenus est sacramentum, significare debet unionem Christi cum Ecclesia: atqui hanc unionem non significat nisi per carnis conjunctionem.

Resp. duplicem esse unionem Christi cum Ecclesia, unam moralem et spiritualement per continuum gratiae influxum, ac perennem

Spiritus Sancti assistentiam ; alteram physicam et naturalem per unionem hypostaticam cum humanitate. Priorem unionem significat unio conjugalium animorum per charitatem, per individuam vitae societatem, per mutua officia amoris, reverentiae, salutis quae conjuges sibi invicem suppeditant, in qua animorum conjunctione praesertim posita est ratio Matrimonii: posteriorem vero unionem significat consummatio Matrimonii. Haec porro significatio essentialis non est Matrimonio, sed accidentalis dumtaxat, et quamquam Matrimonium ratum et consummatum perfectius exprimat unionem tum moralem, tum physicam Christi cum Ecclesia, quam Matrimonium dumtaxat ratum et nondum consummatum, nihilominus Matrimonium ratum est ac verum ante ipsam consummationem, ac sufficienter repraesentat unionem Christi cum Ecclesia per charitatem et gratiae influxum.

Inst. 2. Si sola animorum conjunctio in individuam societatem vitae sufficit ad verum Matrimonium, non repugnabit naturae Matrimonium fratris cum sorore, inter quos intima potest et debet esse animorum consensus.

Respondent aliqui cum Basilio, Pontio, lib. 7, de Matrim. cap. 31 et 32, Matrimonium fratris cum sorore irritum non esse jure naturali; sed solo dumtaxat jure positivo tum civili, tum ecclesiastico.

Respondent alii negando sequelam majoris propositionis. Quamquam enim sit essentialiter ratum ac perfectum Matrimonium sine carnali commixtione, quia tamen ad eam suam naturam et radicali jure ordinem dicit, idcirco inter fratrem et sororem iniri foedus conjugale vetat naturae sensus, inter quos non potest esse ordo ille, seu jus saltem radicale ad carnalem commixtionem.

Instabis 3. sequitur ex nostra sententia, inter impotentes, etiam impotentia perpetua antecedente, ac cognita, posse firmum ac ratum stare Matrimonium: inter illos siquidem potest esse intima animorum consensus et traditio corporum, non quidem ad copulam, sed ad societatem et mutua vitae onera sustentanda, quod satis esse ad verum Matrimonium contendimus: atqui tamen certum est impotentiam perpetuam et antecedentem impedimentum esse dissolvens Matrimonium.

Respondent aliqui cum eodem Pontio, eodem, lib. 7, cap. 56 et seq., jure ipso naturali, imo et ecclesiastico rata esse hujusmodi

trimoniam, quando contracta fuere sine ullo pacto explicito vel implicito seu virtuali de futura copula. Adducit citatus scriptor in probationem decreta Ss. Pontificum, Lucii cap. *consultationis*, de frigidis. Coelestini III; cap. *Requisiti*; Alexandri III, in appendice Concilii Lateranensis, par. 6, cap. 24, quibus in locis statuitur, ut impotens, qui muliere non potest uti tamquam uxore, eam habeat tamquam sororem.

Addunt iidem theologi, impotentiam impedimentum quidem esse dirimens, sed eorum dumtaxat respectu, qui Matrimonium contraxere cum pacto saltem virtuali de futura copula: aliorum vero respectu, qui contraxere sine tali pacto, firmum stare conjugium in unione animorum et individua vitae societate.

Respondent alii, inter impotentes qui perpetua et antecedente laborant impotentia, nullum esse posse Matrimonium, propter rationem jam allatam; quia nempe licet usus actualis seu conjunctio carnalis non pertinent ad essentiam Matrimonii, nihilominus tamen radicale jus ad illam includitur in Matrimonio, quo certe jure privantur impotentes, de quibus loquitur objectio.

Instabis 4. Verum ac ratum non potuit esse Matrimonium inter B. Virginem et Josephum post emissum ab ipsa perpetuae virginitatis votum, quia Matrimonium, quod contrahitur post emissum votum virginitatis, omnino contrarium est ipsi nuptiarum bono, nempe proli susceptioni; erga aut B. Virgo perpetuam virginitatem non voverat, aut verum non fuit ejus cum Josepho Matrimonium.

Resp. nego ant. et ad probationem distinguo; Matrimonium quod contrahitur post emissum virginitatis votum, contrarium est bono nuptiarum primario ac principali, nempe unioni animorum, nego: secundario et minus principali, subdistinguo: contrarium est, si usus ipse seu carnalis conjunctio spectetur, concedo; si jus et potestas mutuae traditionis corporum, nego. Licet etenim B. Virgo ne implicite quidem in usum Matrimonii consenserit, non minus tamen verum et integrum fuit ejus cum Josepho Matrimonium, tum propter unionem animorum ad individuae vitae inter illos societatem, tum propter jus et potestatem mutuae corporum traditionis, circa quam ait S. Aug.: *Divinae dispositioni se subjecit dum proposuit se perseveraturam*

virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Porro, ait S. Thom. in 4, dist. 30, q. 2, art. 1, quaestiunc. 2 ad 3: «*Potentia ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito B. Virginis.*»

Objicies 2. Gratianus caussa 27, q. 2, cap. 16, *Non est dubium, et 17 Cum societas nuptiarum*, docet ex Ss. Augustino et Leone, quos laudat, non esse verum ac ratum Matrimonium sine carnis commixtione. «*Non est dubium, ait S. Aug. a Gratiano et Magistro citatus, cum mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse;*» et S. Leo, epist. 92, c. 4: «*Cum societas, inquit, nuptiarum ita a principio sit instituta, ut praeter commixtionem sexuum non habeat in se Christi et Ecclesiae sacramentum, non est dubium illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium.*»

Resp. 1. Gratianum eadem caussa et questione, cap. 1, 4, 5, 6 et 9, referre testimonia veterum, quae plane nostram confirmant sententiam, ac mirum videri debet, quod eorum tam cito immemor factus, contraria laudaverit ex Ss. Augustino et Leone.

Resp. 2. Testimonia quae laudat Gratianus, aut genuina non esse, aut ab eo perperam legi et intelligi.

Caput *Non est dubium*, nullibi legitur apud S. Augustinum, qui noster totus est, ut patet ex probationibus adductis. S. Leonis textum perperam legit Gratianus cum negativa particula *non*, quae certe non extat apud S. Doctorem, cujus haec genuina sunt verba: «*Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut praeter commixtionem sexuum haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum,*» etc., certe lectio et nostram confirmat sententiam, et objectionem plane inutilem reddit. Et vero mens S. Doctoris est eo in loco ostendere, mulierem quae carne jungitur cum viro uxorem jam habente, vere non esse Matrimonio copulatam: «*Non enim, inquit, initio capitis, omnis mulier juncta vivo uxor est viri quia nec omnis filius haeres est patris.*» Unde concludit, talem unionem mulieris cum viro uxorato, non esse vere Matrimonium, quia non hic Christi mysterium repraesentat; idest, non potest repraesentare unio illa fornicaria vel adultera, unionem Christi cum Ecclesia.

Objicies 3. Finis Matrimonii est conservatio speciei per susceptionem proles; ergo actus seu usus Matrimonii videtur essentialis.

Resp. dist. ant. finis secundarius Matrimonii, concedo: primarius et essentialis, nego.

Objic. 4. Matrimonium ratum et non consummatum dissolvi potest; ergo ante consummationem non est verum et ratum Matrimonium.

Resp. nego antec. Matrimonium quippe, sive ratum dumtaxat, sive ratum et consummatum, ex se perpetuum est, firmum ac indissolubile, quamquam dispari gradu: major quippe est firmitas Matrimonii consummati, quod sola dumtaxat morte potest dissolvi, quam rati tantum, quod potest dissolvi per solemnem religionis professionem, ut dicemus postea.

Ex his itaque duo inferes.

Primum: in Matrimonio distingui debere jus radicale ad usum seu actum conjugalem, et usum ipsum. Prius essentialia quidem est Matrimonio, quo fit, ut qui sua utitur uxore, non accedat ad alienum corpus, ne reus fiat fornicationis et injustitiae; posterius vero non est essentialia Matrimonio, quia fieri potest, ut dominium corporis non liberum et expeditum ad usum, sed perpetuo impeditum conferatur, ut contingit inter conjuges, qui ex mutuo et libero consensu ad continentiam voto se obstrinxerunt; ut contingit etiam inter impotentes, seu senes ad prolem suscipiendam plane incapaces; ut etiam contingit inter B. Virginem et Josephum, quos inter tamen verum censeri debet connubium.

Inferes 2. Ad essentialia Matrimonii non pertinere vel explicitum vel etiam implicitum consensum in copulam. Ratio est, quia sine tali consensu verum fuit Matrimonium Josephi cum B. V., quae a tali consensu plane revocabatur per votum, quod emiserat perpetuae virginitatis.

Objic. 5. Adversus tertiam conclusionem: Vinculum seu nexus ille perpetuus quo conjuges inter se colligantur, est effectus consequens Matrimonium: ergo in tali nexu non videtur reponenda essentialia Matrimonii.

Resp. nego ant. est quidem vinculum illud effectus mutui consensus seu contractus, non vero effectus Matrimonii; imo potius est

formaliter ipsum Matrimonium. « *Est enim Matrimonium, ait S. Thom. antea citatus, vinculum, quo conjuges ligantur formaliter, non effective.* »

Instabis 1. Matrimonium est verus contractus, sed contractus consistit formaliter in consensu mutuo contrahentium verbis vel nutibus expresso: ergo Matrimonium formaliter consistit in contracta seu mutuo conjugum consensu exterius manifestato.

Resp. dist. maj. est verus contractus praesuppositive, vel causaliter et effective, quia scilicet contractus seu consensus mutuus praesupponitur ad Matrimonium, cujus est efficiens causa, concedo; est verus contractus formaliter, quasi in eo forma seu essentia Matrimonii consistat, nego: et nego cons. Argumentum enim peccat in forma, ac videtur in eo duos dumtaxat esse terminos: in majori siquidem propositione, terminus *contractus*, ponitur quasi distinctus esset a consensu, de quo in minori, a quo tamen non distinguitur, nisi quatenus contractus exterior, consensus vero interior est. Unde si in majori propositione dictum fuisset: Matrimonium est verus formaliter contractus, neganda fuisset propositio: licet enim contractus sit formaliter consensus, ut fert minor propositio: contractus tamen seu consensus non est formaliter Matrimonium, sed effective tantum seu causaliter.

Instabis 2. Si Matrimonium ut est naturae officium, formaliter consistit in vinculo seu nexu illo perpetuo, quo ligantur inter se conjuges, sequitur Matrimonium, etiam quatenus sacramentum est, in eodem vinculo formaliter esse reponendum; Christus etenim naturam contractus conjugalis non mutavit, cum ei dignitatem addidit sacramenti. Ex quo rursus sequitur, sacramentum Matrimonii formaliter consistere in re aliqua fixa et permanente, nempe vinculo, quod firmum est ac perpetuum: atqui tamen hoc falsum est, tum quia usus sacramenti quod in re permanenti consistit, gratiam producit, ut patet in usu Eucharistiae; at usus Matrimonii non producit gratiam: tum quia communis est theologorum sententia, proprium esse solius Eucharistiae, ut in re fixa, et permanente collocetur: ergo sacramentum Matrimonii in actione quadam flnente, et transeunte debet reponi, non vero in illa unione seu nexu constanti ac perpetuo.

Responderi 1. posset, negando primam consecutionem: neque enim necesse videtur, ut eo ipso formaliter reponatur essentia Matrimonii, quatenus sacramentum est, in quo reponitur essentia ejusdem quatenus est officium naturae; sed satis est quod Christus Matrimonium, quod olim dumtaxat erat in naturae officium, evexerit ad dignitatem sacramenti, eique indiderit vim efficacem ad gratiam producendam finibus Matrimonii consentaneam, non mutata natura contractus, sed ei tantum superaddita dignitate sacramenti: unde dici posset naturam quidem conjugalis contractus, quatenus est in officium naturae, positam esse in vinculo seu nexu permanenti ac perpetuo; naturam vero Matrimonii, quatenus sacramentum est, positam esse in actione fluente et transitoria per quam conjuges inter se uniantur foedere conjugali. Et ratio est, quia Matrimonium, ut contractus humanus, praecipue consideratur secundum suum, ut dicitur, factum esse; ut vero sacramentum, consideratur in suo fieri: sed quidquid sit de hac responsione.

Resp. 2. nego sequi ex nostra sententia Sacramentum Matrimonii in re aliqua permanenti formaliter consistere. Namque, ut observatum antea fuit, sacramentum Matrimonii non reponitur in illo vinculo considerato in suo facto esse, sed in suo fieri, quatenus nempe resultat vinculum illud, tum ex mutuo contractu conjugum, tum ex actione ministri conjuges unientis; adeoque habet esse fluens et transiens. sicut alia sacramenta, una excepta Eucharistia.

Q U A E S T I O S E C U N D A .

De institutione Matrimonii.

Cum Matrimonium spectari possit, vel ut est naturae officium, vel ut sacramentum, de ipsius institutione sub utraque ratione agendum nobis est.

ARTICULUS PRIMUS.

De institutione Matrimonii, ut est naturae officium.

Quaeritur hic, utrum Matrimonium lege naturali ac divina positiva sit institutum.

· **Observa 1.** ex S. Thoma, in supplem., qu. 44, art. 1, in corpore, aliquid dici posse homini naturale duobus modis: primo, quia ex principiis, et ex necessitate naturae fuit; ita moveri sursum est naturale ignis; secundo, quia ad id natura inclinat quod ipsi consentaneum est; hoc sensu virtus homini naturalis dici potest.

· **Jus naturale**, ajunt vulgo juris interpretes ac theologi, illud est, quod convenit homini, spectatis naturae principiis secundum se, et ex principiis naturae rationabilis optima ratione deducitur, sive spectatus homo secundum se, sive vitam socialem agens. Hoc vero jus naturale duplex est: alterum justitiae, sive necessitatis; alterum utilitatis. Justitiae quidem vocant, quod non tantum permittit fieri, sed ita jubet, ut oppositum non liceat, velut non furari, non occidere, etc. Jus autem utilitatis vocant, quod quidem non jubet, itaut oppositum peccatum sit, sed liberam facultatem concedit utendi re aliqua tamquam utili vel honesta; tale est jus naturale Matrimonii.

· Nonnulli Graeci, inter quos S. Jo. Damascenus, l. 2 fidei orthodoxae 30 et l. 4, c. 25; Euthymius in Psal. 50, ad ista verba: «*Ecce in iniquitatibus conceptus sum,*» etc., existimant nuptias non esse ex prima naturae institutione ante peccatum, sed ex peccato dumtaxat originem traxisse.

· **Observa 2.** considerari Matrimonium posse: 1. quatenus est officium naturae; 2. quatenus est remedium contra peccatum: «*Propter fornicationem,* ait Apostolus, 1 Cor. 7, vers. 2, *unusquisque suam uxorem habeat;*» 3. quatenus est, contractus civilis inter viram et uxorem; 4. quatenus est sacramentum. His praemissis sit.

CONCLUSIO.

Matrimonium ut est officium naturae, ex ipsa naturae lege ducit originem, quam deinde lex Dei positiva confirmavit.

· Prima pars probatur quia, ut optime hic ratiocinatur Estius in 4, dist. 26. 2, 1: «*Natura etiam, secluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, et ad eum finem sexuum diversitas est ordinata, ut quae extra conjugium nullum alium usum habeat. Atqui proles sicut concepta in lucem edi debet, ita in lucem edita per nutritionem, et*

educationem ad perfectum perduci secundum corpus et animam, idque eadem natura dictante, quae non tantum generationem rei, sed et promotionem et perfectionem ejus intendit. Haec autem, necessaria nutritionis et educationis officia certos requirunt parentes, eosque vinculo quodam indissolubili colligatos, qua in re Matrimonii ratio constituta est. » Ita Estius, qui paullo elegantioribus verbis expressit mentem et doctrinam S. Thomae loco mox citato.

Secunda pars probatur.

I. Quia quidquid est a natura institutum, ad Deum naturae auctorem referri merito potest.

II. Quia Deus ipse ea fecit et dixit, quae positivae institutionis Matrimonii vim et rationem referunt. Siquidem 1. juxta naturae intentionem masculum et feminam creavit; 2. finem, et utilitatem conjugii designavit, Gen. 2, v. 18. « *Non est bonum, inquit, hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi;* » 3. ut ostenderet arctius esse vinculum Matrimonii inter homines, quam societatem, generationis causa inter brutos animantes: cum in istis mares et feminas seorsim condidisset, in hominum genere; non seorsim ambos, sed alterum ex altero, feminam scilicet ex viro formavit, neque aliunde; quam ex latere ipsius, Genes. 2, nimirum ut significaret, inter utrumque sexum per Matrimonium arctissimam debere esse societatem; 4. hoc ipsum divini Spiritus instinctu intelligens primus homo, a somno seu exstasi, in qua de latere ipsius formata fuerat Eva, expergefactus, in haec verba prorupit, Gen. 2, vers. 23: « *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una;* » quibus verbis, ait Concil. Trid., sess. 24, cap. unico, de Matrimonio, « *perpetuum, et indissolubilem esse Matrimonii nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciauit.* »

Porro Christus, Matth. 19, ad utramque Matrimonii institutionem, tam eam, quae ex natura est, quam quae ex Dei Verbo, respexisse videtur, cum ait, v. 4: « *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una... Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* » Ita Christus

Pharisaeos maligne interrogantes an liceret dimittere uxorem suam, revocat ad primam Matrimonii originem et institutionem.

Ex quibus compertum esse debet, in paradiso ante peccatum institutum et initum fuisse Matrimonium Adamum inter et Evam, illamque nuptiarum legem, quam ipsa dictaverat natura, a Deo ratam et confirmatam fuisse. Ita vulgo sentiunt scriptores ecclesiastici; Tertull., lib., de anima, c. 11, et lib. de exhortatione castitatis, c. 3; S. Hier., in c. 5 Epistolae ad Ephesios; S. Aug., l. de bono conjugali, c. 13, lib. de Gen. ad litt., c. 19, et l. 4, dist. 26. Ita pariter Conc. Mogantinum initio hujus tractatus laudatum; Coloniense, part. 7, c. 41. «*Matrimonium enim, inquit, ante lapsum Adae propter procreandos liberos institutum, ac benedictione Dei firmatum, qua dixit: Crescite et multiplicamini, et replete terram: peculiariter autem homini, eruat duo in carne una, etc. Nec ratio conjunctionis seu benedictionis post lapsum deficit, sed tantum quod sanis potuit esse officium, id aegrotis etiam factum sit remedium.*» Matrimonium igitur, quod ante peccatum fuit in officium naturae, post peccatum factum est in remedium concupiscentiae; «*non ulla, inquit, Maldonatus, de Matrimonio ad quartum argumentum secundae sententiae, pag. 434, nova constitutione, sed sola mutatione rerum.*» Tandem a Christo ad dignitatem sacramenti fuit in nova lege evecum, quod articulo sequenti demonstrandum nobis est.

ARTICULUS SECUNDUS.

De institutione Matrimonii, quatenus sacramentum est.

Sex hic occurrunt exponendae quaestiones.

Prima, an Matrimonium in lege naturae, aut scripta fuerit verum sacramentum.

Secunda, an in lege Evangelica Matrimonium sit verum sacramentum a Christo institutum, et quando.

Tertia, ad quodlibet fidelium Matrimonium sit sacramentum, itaut ratio contractus se jungi et separari numquam possit a ratione sacramenti.

Quarta, an Matrimonium contractum per procuratores sit verum sacramentum.

Quinta, an in lege Evangelica Matrimonium infidelium inter se, vel fidelis cum infideli, aut catechumeno, aut haeretico sit sacramentum, et licite contrahatur.

Sexta denique, an Matrimonium inter infideles contractum, accedente utriusque conjugis baptismo, evadat sacramentum.

An Matrimonium in lege naturae aut scripta fuerit verum sacramentum.

Observa 1. Vocem sacramenti apud auctores ecclesiasticos usurpari vel proprio et stricto sensu, vel lato et improprio. Quodlibet signum rei alicujus sacrae, sacramentum fate dicitur: signum vero rei sacrae practicum seu efficax gratiae sanctificantis, proprie ac stricte sacramentum est.

Observa 2. Duplicem in sacramentis distingui posse significationem, unam mere speculativam seu, objectivam, alteram vero practicam, v. g., Eucharistia duo significat, mortem Christi et gratiam nutrientem. Prior significatio pure speculativa est, neque enim Eucharistia efficit mortem Christi; posterior vero efficax est ac practica, producit enim seu efficit gratiam, quam repraesentat. In Matrimonio pariter duplex distingui potest significatio, una simpliciter speculativa et objectiva, qua dumtaxat repraesentatur unio Christi cum Ecclesia, sive per incarnationem, sive per charitatem et gratiae influxum, altera practica, qua producit gratia sacramenti uniens conjuges ad effectus seu fines proprios Matrimonii. Porro ad verum et proprie dictum sacramentum non sufficit significatio illa pure ac simpliciter speculativa seu objectiva, sed necessaria est practica, et efficax; sacramentum enim debet esse signum efficax et operativum gratiae sanctificantis. His praenotatis.

Sunt inter theologos nonnulli, quibus videtur Matrimonium in lege naturae ac scripta verum fuisse sacramentum, eo ipso modo, quo jam est in lege Evangelica, ita Alphonsus a Castro, l. 11, adversus haereses, verbo *Nuptiae*; Petrus Soto, lectione 2 de Matrimonio; Maldo-

natus, de Matrimonio ad quartum argumentum secundae sententiae, p. 434, ubi ait: « *Hanc esse opinionem omnium antiquorum auctorum,* » quam argumentis quinque confirmare ac demonstrare ibidem nititur. His accedit Launojus, in lib. quem scripsit de regia in Matrimonium potestate, part. 1, art. 2, c. 113, pag. 183 et seq., ubi proponens sibi argumentum eorum, qui dicunt idcirco principes christianos jus non habere statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, quod Matrimonium fuerit a Christo institutum in verum novae legis sacramentum; respondet plane nullum et infirmum esse argumentum; siquidem in lege naturae ac scripta longe ante Christum Matrimonium fuit verum etiam sacramentum, in quod tamen principes auctoritatem suam exercuisse nullus est, qui dubitare merito possit; unde concludit rationem sacramenti non obstare, quin possint principes leges condere Matrimonium irritantes. Assumptum vero istud, Matrimonium in lege naturae ac scripta ante Christum, fuit verum sacramentum, multis, more suo, in unum crude congestis veterum, et recentiorum testimoniis ostendere conatur Launojus, quae nullo negotio exponens, si attenderis ad distinctionem mox factam, sacramenti stricte et proprie, vel late et improprie sumpti.

Alii igitur communiter theologi docent, Matrimonium in lege naturae ac scripta non fuisse sacramentum veri nominis, sed latiori dumtaxat sensu, quatenus signum erat futurae unionis Christi cum Ecclesia; atqui contrariam opinionem tutam non esse judicat Bellarminus, l. 1, de sacramento Matrimonii, c. 5, in responsione ad secundum Lutheri argumentum. Hanc expresse damnatum fuisse dicit Vasquez, disp. 2 de Matrim., c. 3, itaque sit.

PRIMA CONCLUSIO.

Si sacramentum generatim et latiori quodam sensu sumatur pro signo rei sacrae, potest hoc sensu dici Matrimonium fuisse sacramentum in lege naturae aut scripta.

Probat: quia Matrimonium ex primaria et divina sui institutione facta in paradiso, id habet, ut sit signum conjunctionis Christi

cum Ecclesia; atque idcirco prophetasse Adamum, affirmant veteres, cum dixit Gen. 2, v. 23: «*Hoc nunc os ex ossibus meis ... Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae.*» Non aliud certe volunt scriptores, quos citato loco congressit Launojus. Ita

Tertull., lib. de anima, cap. 11. «*Adam, inquit, statim prophetavit magnum illud sacramentum in Christum et Ecclesiam, dicens: Hoc nunc os ex ossibus meis,*» etc.

S. Hier., in cap. 5 ad Ephesios: «*Primus homo, inquit, et primus vates Adam, hoc de Christo, et de Ecclesia prophetavit.*»

S. Aug., lib. 9 de Gen. ad litteram, cap. 19: «*Evigilans, inquit, Adamus (ex extasi) tamquam prophetiae plenus, cum ad se adductum costam mulierem suam videret, eructavit continuo. quod magnum sacramentum commendat Apostolus: Hoc nunc os,*» etc.;

Concilium quoque Trid., sess. 24 cap. unico de Matrimonio, eodem prophético spiritu inspiratum fuisse Adamum affirmat.

Porro hujus prophetiae objectum et finis non alius fuit, quam praevisa Christi cum Ecclesia futura conjunctio, tum naturalis per incarnationem, tum moralis ac spiritualis per characterem et influxum gratiae; cujus quidem futurae unionis signum ac sacramentum fuit maritalis Adami et Evae conjunctio, interprete Apostolo, Eph. 5, v. 32: «*Sacramentum hoc magnum est, inquit, in Christo et in Ecclesia.*» Seu juxta textum graecum: «*In Christum et in Ecclesiam.*» Ita ut alios innumeros omittam. Innoc. III S. P, Epist. 192 libri 3: «*Matrimonium, inquit, quod ante peccatum in paradiso a Domino institutum, propter propagationis humani generis fructum, illud ineffabile sacramentum conjunctionis scilicet ad sanctam Ecclesiam Dei ad fidelem animam, et ipsius verbi ad humanam naturam noscitur figurare, Apostolo testante, qui de bono matrimonii agens, inquit; ego autem dico magnum in Christo et Ecclesia sacramentum.*»

Potest igitur hoc sensu lato et minus proprio Matrimonium in lege naturae ac scripta vocari sacramentum, quia signum fuit ac symbolum futurae unionis Christi cum Ecclesia, ex qua mystica significatione suam firmitatem ac indissolubilitatem etiam inter infideles trahere Matrimonium plures existimant Theologi, eo nempe quod representet unionem Christi cum Ecclesia perpetuam et indissolubilem.

Et certe inesse Matrimonio, praeter humanum contractum, aliquid divini, quod ad religionem certo quodam ritu pertineat, vel ipsi Gentiles agnovisse videntur, qui non sine sacrificiis ac religionis caeremoniis nuptias celebrabant: « *In conjugalia foedera, inquit Arnobius, l. 4 adversus gentes, conditionibus veniunt ante quaesitis: usu, farre, coemptione, genialis lectuli Sacramenta conducunt: habent separatas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* » At veri Dei cultores longe clarius atque distinctius divinam in Matrimonio benedictionem ac gratiam necessariam confessi sunt. Sic Tob., 7 c. vers. 15: Raguel tradens Tobiae filiam suam in Matrimonium, apprehensa utriusque manu dixit: « *Deus Abraam, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. Et accepta charta fecerunt conscriptionem conjugii.* »

SECUNDA CONCLUSIO.

Matrimonium in lege naturae, aut scripta non fuit proprie sacramentum, quale in lege Evangelica Christus instituit.

Probatur 1. quia ad verum et proprie dictum sacramentum non sufficit, ut observavimus, quod sit signum rei alicujus sacrae, sed necesse est, ut sit signum practicum et efficax; idest ut habeat annexam promissionem gratiae, quam efficiat ex opere, ut dicitur, operato; atqui tale non erat Matrimonium apud veteres in lege naturae aut scripta. Quamquam enim non defuerit aliqua divina gratia Matrimonio fidelium: « *Qui, ait Angelus ad Tobiam, c. 6, v. 17, conjugium ita suscipiunt ut Deum a se et a sua mente non excludant, nec libidini suae ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus,* » nihilominus tamen nec tam copiosa, nec tam efficax, nec signo sensibili alligata erat, nec ipsius vi et efficacia, sicut nunc, producebatur illa gratia.

Probatur 2. auctoritate conciliorum Florentini et Tridentini.

Concil. Flor. in Decreto recenset inter Sacramenta novae legis Matrimonium, eaque a sacramentis veteribus eo potissimum titulo distinguit, quod vetera gratiam non conferrent, sicut eam conferunt nova.

Conc. Trid., sess. 24, c. unico, de Sacramento Matrimonii, conceptis verbis ait: «*Matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestare, atque merito inter sacramenta novae legis a Patribus, Conciliis et universa traditione Ecclesiae annumerari.*» Hoc idem definit Canon 1, ejusdem sess., quibus certe significat synodus, Matrimonium apud veteres non ejusdem virtutis, dignitatis et efficaciae fuisse cum Matrimonio christianorum, quod Christus tamquam verum et proprie dictum Sacramentum instituit. Cum hac Concilii doctrina quomodo conciliari possit supra memorata opinio Alphonsi a Castro, Launoji et aliorum, non satis, fateor, intelligo.

Probatur 3. ex communi ac pervulgata theologorum doctrina post S. Thomam, in 4, dist. 26, qu. 2, art. 2 et 3, ubi docet «*Matrimonium institutum fuisse in officium naturae in statu innocentiae; deinde in statu naturae corruptae fuisse illi additum ut esset in remedium; et tandem in lege nova a Christo institutum fuisse sacramentum. Sanis est ad officium; aegrotis vero ad remedium,*» ait S. Aug. a Magistro laudatus, lib. 9, de Gen. ad litt., cap. 7. Idem plane docet Conc. Moguntinum, an. 1549, cap. 56, et Coloniense, an. 1536, part. 7, cap. 40.

Dices 1. cum Maldonato loco antea citato: Nos non ex alio fere Scripturae loco probamus Matrimonium esse Sacramentum, quam ex cap. 5 Epistolae ad Ephesios, v. 52: «*Sacramentum hoc magnum est,*» etc. Atqui Apostolus manifeste loquitur de Matrimonio, quale fuit ante Christum: ergo aut Matrimonium non est sacramentum, quod falsum est, aut etiam in veteri Testamento verum fuit sacramentum.

Resp. neg. min. loquitur enim praecipue Apostolus de Matrimonio quod «*magnum est sacramentum in Christo et in Ecclesia,*» quale solum est inter christianos; quamquam, ut diximus Conclusionem primam, Matrimonium lato quodam et minus proprio sensu, dici etiam potest fuisse apud veteres sacramentum. Sed de sensu et interpretatione illorum Apostoli verborum plenius dicemus paullo post.

Dices 2. cum eodem: D. Paulus putat naturam sacramenti Matrimonii in eo praesertim esse positam, ut et vir et uxor sint una caro: nullus autem vir magis fuit una caro cum sua uxore, quam Adam, cum ceteri omnes dicantur esse una caro ad imitationem illius.

Resp. nego maj. in omni quidem Matrimonio istud essentielle est,

quod vir et mulier sint una caro; at non in eo solo posita est tota ratio Matrimonii, prout est sacramentum proprie dictum; requiritur enim praeterea ut sit signum efficax gratiae sanctificantis, quam ex promissione et institutione Christi habet annexam, quod ultimum occurrit dumtaxat in Matrimonio christianorum.

Dices 3. cum eodem: Matrimonium non ob aliam causam est sacramentum, nisi ob significationem Christi et Ecclesiae: atqui haec significatio maxime propria fuit Matrimonio Adam cum Eva.

Resp. dist. maj. non ob aliam causam est sacramentum, improprio et latiori sensu, concedo: proprio ac stricto, nego. Vel aliter distinguo, quam ob significationem practicam et operativam, jam est in nostro Matrimonii sacramento, concedo: ob significationem mere speculativam et inefficacem, nego.

Dices 4. si Matrimonium vetus non fuisset sacramentum, profecto haberemus aliquam novam institutionem illius in novo Testamento: atqui non habemus.

Resp. nego min. habemus etenim novam institutionem Matrimonii, non quidem simpliciter ut est in officium naturae, sed ut est verum ac proprie dictum sacramentum, sicut ex dicendis modo patebit. Nihil hic dicimus de quarto Maldonati argumento; incidit enim in tertium; et eodem modo solvitur.

Dices 5. ex S. Leone, epist., alias 92, c. 4. « *Societas nuptiarum ab initio ita fuit constituta, ut praeter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum.* »

Resp. S. Leonem eo loci usurpare nomen sacramenti latiori sensu, pro signo rei sacrae, nempe unionis Christi cum Ecclesia; ex quo infert quod susceperat eo loci probandum, Matrimonium ingenui cum serva non libera, nullum esse, quia scilicet praeter voluntariam sexuum conjunctionem, necesse est ut Matrimonium habeat Christi et Ecclesiae sacramentum; hoc est, ut repraesentet unionem Christi cum Ecclesia. Sicut autem Christus liberam duxit Ecclesiam, seu docendo et redimendo liberam fecit, ita necesse est, ut mulier libera sit, dum assumitur in uxorem, vel libera reddatur, dum a sciente assumitur et redimitur.

Quotquot vero congressit Launojus veterum testimonia, si unum

aut alterum excipias hoc unum dumtaxat attente legenti demonstra-
bunt, nempe vel Matrimonium in lege naturae et scripta fuisse si-
gnum unionis Christi cum Ecclesia, et consequenter latiori sensu sa-
cramentum; vel Matrimonium quod jam sacramentum est, olim in
paradiso institutum, in officium scilicet naturae; quae duo non inviti
agnoscimus et fatemur.

*An Matrimonium in lege evangelica sit verum et proprium
sacramentum a Christo Domino institutum, et quando.*

Errores et opiniones.

Circa primum, an nempe Matrimonium sit veri nominis sacra-
mentum, duo errarunt haeticorum genera.

Primo, ii de quibus Apostolus, 1 ad Tim. 4, vers. 1, ait: «*In no-
vissimis temporibus discedet quidam a fide, attendentes spiritibus er-
roris et doctrinis daemoniorum ... prohibentium nubere, abstinere a ci-
bis,*» etc. Hi haeretici nuptias damnabant tamquam malas, illicitas,
inductas a daemone. Tales fuere Simoniani, Nicolaitae, Tatiani, Sa-
turniani, Marcionitae, Encratitae, Manichaei, Adamitae, Apostolici,
Hieracitae; de quibus lege veteres Ss: Irenaeum, Epiphanium, Au-
gustinum, Theodoretum in libris, quos scripsere adversus haereses.
Observat S. Aug., scribens contra Faustum, quod etsi Manichaei nu-
ptias dampnarent, tolerarent tamen ex suis eos, qui naturae necessitate
superati nubebant: «*Nec ideo, inquit, l. 30, c. 6, vos dicatis non pro-
hibere, quia multos vestros auditores in hoc obedire nolentes vel non
valentes salva amicitia toleratis. Illud enim habetis in doctrina vestri
erroris, hoc in necessitate societatis.*»

Secundo posteriores temporum novatores Joannes Hus saeculo XIV, Lutherus et Calvinus saeculo XVI, licitas quidem, ac in se honestas esse nuptias confessi sunt, at veram et propriam sacramenti rationem ipsis eripuerunt. «*Matrimonium, sjebat Lutherus, non est sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum.*» Et Calvinus, l. 4 Inst., c. 19, n. 34: «*Matrimonium, inquit, quod ut a Deo institutum fatebantur omnes, ita pro sacramento datum nemo usque ad Gregorii*

tempora viderat. » Et « *Cui unquam sobrio, pergit, venisset in mentem?* » Sunt tamen inter ipsos Novatores qui, ut fucum faciant et fallant incautos, Matrimonio nomen et appellationem sacramenti non recusant; at sacramentum non proprie et stricte pro signo efficaci et practico, sed late et improprie pro simplici signo usurpant. Ita Spalatensis, l. 5, de Republica ecclesiastica, c. 11, n. 28 et seq.

Nonnullorum ex nostris catholicis doctoribus patrocínio gloriantur Novatores, in primis Magistri sententiarum et Durandi.

Magister, l. 4 sententiarum, dist. 2, litt. A. Matrimonium recenset quidem inter sacramenta novae legis; at ipsi vim efficacem ad producendam gratiam detrahere videtur. « *Quorum (sacramentorum), inquit, alia remedium contra peccatum praebent, et gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus: alia in remedium tantum sunt, ut conjugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et Ordo.* » Eodem, lib., dist. 26. Conjugium sacramentum esse et rei alicujus sacrae signum demonstrat: an vero sanctificantem conferat ex sese gratiam, silet omnino.

Durandus, in eodem lib., dist. 26, q. 2, docet duo dumtaxat esse circa Matrimonium, quae sine periculo erroris negari non possunt: primum est, Matrimonium esse licitum; secundum, Matrimonium esse sacramentum: « *Eo modo quo, inquit, sacrae rei signum dicitur sacramentum,* » idest improprie « *seu aequivoce,* » ut ait postea. « *Praeter autem, ea duo praedicta, pergit Durandus, sunt alia duo circa Matrimonium, circa quae sine periculo haeresis licitum est contraria opinari: quorum unum est theologicum, scilicet utrum in Matrimonio conferatur gratia ex opere operato, sicut in aliis sacramentis novae legis; secundum est logicum, videlicet utrum Matrimonium habeat plenam univocationem cum aliis sacramentis.* » In decursu vero hujus quaestionis utrumque negat Durandus, et adducit suae opinionis consortes aliquos canonicos, ac praeterea Glossam. cap. *Honorantur*, caussa 52, qu. 2, quae dicit: « *Ideo in sacramento Matrimonii, potius quam in aliis intervenire posse pecuniam, quia in hoc sacramento non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut in aliis.* » Nihilominus, ibidem, n. 8, testatur Durandus oppositam sententiam longe communioem fuisse inter theologos sui temporis. « *Moderni autem, inquit, theologi quasi communiter tenent, quod*

per sacramentum Matrimonii confertur gratia; nisi contrahentes ponant obicem, sicut fit in aliis sacramentis, quibus aequiparatur sacramentum Matrimonii.

Cum Durando sentit Guillelmus Peraldus Durandi coetaneus in Summa vitiorum, et eo antiquior Jacobus de Vitriaco, I occidentalium Historiae, c. 36. Eandem opinionem magistro, ac praeposito Antisiodorensi tribuit Gerso in Compendio Theologiae, quod extat 1 tomo operum ipsius, part. 2, p. 66, titulo de sacramento conjugii, p. 104.

Atque hinc est quod S. Thomas, Bonaventura, Scotus et alii, qui veram et catholicam tuebantur sententiam, eam dumtaxat ut probabilior, non ut ex fide certam et omnibus tunc temporis credendam proponant: quia nempe, licet res ea in se, ac materialiter esset de fide; nondum tamen distincte, ac clare definita fuerat ab Ecclesia, sicut postea fuit; unde contrarium opinari error quidem erat, sed non haeresis. Immerito novatores Alphonsum a Castro, Petrum Soto et alios nonnullos ad se trahere nituntur: ii quippe conceptis terminis docent, Matrimonium esse verum sacramentum, quamquam velint illud eadem dignitate et efficacia fuisse exornatum in lege sive naturae, sive scripta; in quo certe capite a ceteris theologis recedant; a quibus deseruntur.

Dissentiunt pariter nostri theologi in assignandis Scripturae testimoniis, quibus demonstrari possit Matrimonium esse verum, ac proprie dictum sacramentum, cui sit ex institutione Christi annexa gratiae promissio. Vasquez, disp. 2, de Matrim., cap. 6 et 8, negat ex Scriptura posse efficaciter demonstrari Matrimonium esse verum sacramentum et ad solam traditionem, ut id evincat, confugit. Pariter Estius in 4, dist. 26, §. 7; Pontius, l. 1 de Matr., c. 5, et alii nonnulli recentiores existimant ex una traditione probari posse per Matrimonium gratiam sanctificantem conferri, aliis e contra nonnulla Scripturae testimonia ad id probandum idonea et efficacia videntur.

Circa secundum, nempe tempus, quo Christus instituit sacramentum Matrimonii, discordes adhuc sunt inter se theologi. Sunt qui in paradiso primum a Deo institutum, a Christo autem confirmatum dumtaxat in Evangelio fuisse affirmant. Ita docent quibus placet in lege naturae ac scripta Matrimonium verum fuisse sacramentum. Sunt

qui putant institutum a Christo, cum Matth. 19, dixit: « *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* » Alii institutionis tempus referunt, cum Christus adfuit nuptiis in Caua Galileae, eisque benedixit. His prae-
missis, sit.

PRIMA CONCLUSIO.

*Matrimonium ex se bonum est, honestum, ac licitum. Est adversus
veteres haereticos.*

Probantur manifestis⁵ Scripturae testimoniis, 1 Cor., v. 27: « *Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem;* » et vers. 28: « *Si acceperis uxorem non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit;* » et vers. 38: « *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit;* » Hebraer. 13, v. 4: « *Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus.* » Christus ipse, Matth. 19, v. 6, de prima origine Matrimonii ait: « *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* » et Joan. 1: « *Præsentia sua nuptias corroboravit, eisque benedixit.* »

Ipsam quoque usum conjugii ex se bonum esse ac licitum probat S. Paulus, 1 Cor. 7, vers. 3: « *Uxori, inquit, vir debitum reddat, simile autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi;* » et v. 2, dixerat: « *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* »

Hanc perpetuo fuisse Ecclesiae fidem demonstrant Ss. Patres quotquot veteres haereticos nuptiarum hostes suis scriptis debellaverunt. Damnant illi quidem interdum excessum conjugum in usu Matrimonii, at usum ipsum iis circumscriptum terminis, quos assignat christiana religio, nusquam improbarunt; unde in statu ipso innocentiae fuisset conjugii usus: « *Certum est, ait S. Aug., l. 14 de Civ. Dei, c. 22 et 23, masculum et feminam ita primitus institutos, ut nunc homines duos diversi sexus videmus et novimus Quisquis autem dicit non fuisse coituros, nec generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium haminis fuisse peccatum?* »

SECUNDA CONCLUSIO.

Matrimonium est verum ac proprie dictum legis evangelicæ sacramentum. Est contra Lutheranos et Calvinistas.

Ex duplici fonte catholici dogmatis probationes hauriemus, ex Scriptura scilicet et traditione Ss. Patrum.

Prima probatio ex Scriptura.

Probatur. Quia ad verum et proprie dictum novæ legis sacramentum requiritur, ut sit signum sensibile rei sacrae, et efficax gratiæ sanctificantis, a Christo Domino institutum, in religione christiana constans ac perpetuum: atqui conditiones illæ omnes Matrimonio recte conveniant.

Primo, in mutuo conjugum consensu seu contractu externo habemus signum exterius ac sensibile.

Secundo, contractum illum et conjunctionem conjugalem esse signum rei sacrae, hoc est unionis Christi cum Ecclesia, sive naturalis per incarnationem, sive spiritualis per charitatem, patet ex dictis paullo ante conclusione prima et secunda, ac evidentur colligitur ex Apostolo, Ephes. 5, ubi commendans mutuam conjugum inter se dilectionem, exemplo Christi, qui Ecclesiam sponsam suam ita dilexit, ut seipsum tradiderit pro ea, inter alia primævæ Matrimonii institutionem adducit, ac intimam conjugum unionem. «*Propter hoc, inquit, v. 31, relinquit homo patrem et matrem suam, et adheret uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*» Quasi diceret: Tametsi conjunctio maritalis, si in se spectetur, res non magna videatur, in genere tamen signorum magna res est, quia magnum aliquid significat, Christum videlicet et Ecclesiam, eorumque inter se conjunctionem. «*Per hoc enim, ait Estius, in 4, dist. 26, q. 5, quod homo relictis parentibus adheret uxori suæ, et cum ea una caro efficitur, mystice significatur Filium Dei e signi Patris, ac quasi relicto Patre in terras descendisse, ut*

Ecclesiae conjungeretur, unumque cum ea corpus per incarnationem efficeretur. Matrimonium igitur est sacramentum, hoc est symbolum signum unionis Christi cum Ecclesia.

Ita vulgo interpretantur SS. Patres Jo. Chrysost. hom. 57 in Genesim: «*An non audis, inquit, Paulum dicentem: sacramentum esse nuptias et imaginem dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam exhibuit?*» Et hom. 20 in c. 3. Epist. ad Ephesios, hanc ipsam profert expositionem, quam descripsit mox citatus Estius. Ita etiam Hier. in citatum locum Apnstoli; Greg. Nazianz. Orat. 31, quam interpretationem secuti sunt Patres Tridentini, sess. 24 cap. unico de Matrimonio.

Duo hic reponunt Novatores.

1. Non ipsum Adami et Evae conjugium appellari ab Apostolo magnum sacramentum, sed ipsam potius unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, quae in rei et veritate magnum est sacramentum, hoc est mysterium. «*Et sane, inquit, Calvinus lib. 4. Institutionis, c. 19, §. 55, «vere magnum mysterium est, quod sibi Christus costam detraxi passus est, unde formarentur: hoc est, cum fortis esset, debilis esse voluit, quo sua fortitudine roboraremur; ut jam non vivamus ipsi, sed vivat ipse in nobis.»* Sacramentum igitur, in textu Apostoli, non refertur ad Matrimonium Adami et Evae, sed ad unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem. «*Non subjective sed objective sacramenti vocem usurpat hic Apostolus,*» ait Spalatensis, l. 5 de Republ. christiana, c. 11, n. 17. Hoc est, eodem interprete: «*S. Paulus non ab humano conjugio, veluti a signo, procedit ad Christi conjugium cum Ecclesia, tamquam ad rem signatam; sed, e contrario, a conjugio unionis hypostaticae verbi cum carne nostra, et ab unionem Christi sponsi cum Ecclesia sponsa, et capitis cum membris, deduci documentum, cur et quomodo debeant et mulieres suis viris subjici, eisque tamquam proprio capiti obsequi, et viri fideles diligere uxores suas, eo videlicet modo, quo Christus diligit Ecclesiam.*» Ita Spalatensis.

Reponunt. 2. ex citato loco Apostoli colligi ad summum posse, Matrimonium primorum parentum (de quo uno loquitur Apostolus) signum fuisse unionis Christi cum Ecclesia, non autem quodcumque hominum Matrimonium.

Verum haec postrema responsio priorem evertit; supponit etenim

voce*m sacramenti* referri ad unionem conjugalem Adami et Evae, tamquam ad signum unionis Christi cum Ecclesia. Loqui porro Apostolum de omni humano conjugio, demonstrant haec verba: «*Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae:*» quae certe universalia sunt, et magis ad posteros Adami quam ad Adamum ipsum pertinent, qui parentes, quos relinqueret uxoris suae amore, non habuit ipse primus omnium parens. At vero Christus, Matth. 19, ad omnem legitimum conjugium refert verba mox citata.

Quantum autem ad primam responsionem, patet manifeste ex serie contextus Apostoli, verba ista «*Sacramentum hoc magnum est,*» referri ad Matrimonium Adami et Evae, tamquam ad signum. Refertur enim ad id, quod antecedit, et designatum per demonstrativum pronomen *hoc*: at verbis antecedentibus loquitur Apostolus de Matrimonio Adami et Evae: «*Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem,*» etc. «*Sacramentum hoc magnum est.*» Quid? unio scilicet conjugalis Adami et Evae. Favet graecus textus, juxta quem legimus: «*Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christum et in Ecclesiam:*» quia nempe unio illa Christi cum Ecclesia terminus est, seu objectum significatum per unionem conjugalem Adami et Evae. Falso supponit Spalatensis Apostolum non ab humano conjugio, tamquam a signo, sed ab unione Christi cum Ecclesia, tamquam a re significata, hortari conjuges ad mutuam amorem: ab utroque etenim motivum et rationem ducit Apostolus, cur et quomodo viri debeant uxores suas diligere; nempe tum ab ipsa Matrimonii natura, quae in individuae vitae societate posita est; tum a ratione signi et rei significatae, quia significat unionem Christi cum Ecclesia, quae intima est et tanta, ut seipsum pro ea tradiderit.

At, inquit Spalatensis, sacramentum ex nobis efficit id, quod significat: atqui Matrimonium non efficit unionem Christi cum Ecclesia: ergo eam non significat.

Verum huic objectioni jam occurrimus supra initio hujus secundi articuli, ubi duplicem distinximus in sacramentis significationem, unam pure objectivam et speculativam, alteram vero practicam et efficacem; ac diximus matrimonium quidem simpliciter representare unionem Christi cum Ecclesia, et hanc ipsius significationem pure

objectivam esse ac speculativam, verum aliam quoque diximus esse significationem ipsius practicam qua significat et simul efficit ac producit gratiam animorum conciliatricem, propriamque sacramenti.

Tertio, legitimum conjugium signum esse non pure speculativum et otiosum, sed practicum et efficax, probatur ex eodem Apostoli textu, Ephes. 5, ubi hortatur conjuges ad mutuam dilectionem exemplo Christi. « *Viri, inquit, v. 25, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam:* » idque probat ex eo quod unio maritalis signum sit seu sacramentum unionis Christi cum Ecclesia: « *Sacramentum hoc magnum est, in Christo et in Ecclesia.* » Quae certe probatio vim habet maximam, si supponat signum illud seu sacramentum efficax esse et productivum gratiae quam significat; e contra infirma prorsus ac nulla, si supponat signum illud sterile esse, ac vacuum. Ita ex textu Apostoli argumentantur Patres Trident., sess. 24, c. unico de Matrimonio: « *Gratiam vero, inquit, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea: mox subjungens, sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* »

Frustra reponunt Novatores in graeco textu Apostoli pro sacramento legi *mysterium*. Quis enim tam rudis ignorat, idem apud graecos significari per *mysterium* quod apud latinos per sacramentum.

Frustra quoque admonet hic Bellarminus l. 1, de Matrimonio, c. 2, ex sola sacramenti voce qua utitur Apostolus, non posse deduci Matrimonium esse signum practicum seu operativum sanctificantis gratiae, ac proprie dictum sacramentum; quamdoquidem vox ea rebus plurimis accommodatur, quae vera non sunt, ac proprie dicta sacramenta. Quis enim hoc negat inter orthodoxos? Nullus profecto. Verum sacramenti appellationem hic non sejungimus ab iis circumstantiis, in quibus Apostolus eam humano conjugio adaptavit et accommodavit, quae certe eo tendunt omnes, ut nobis exhibeant veri nominis sacramentum, seu signum efficax gratiae unientis conjugum animos.

Frustra denique reponet aliquis, inde sequi omnem humanum

conjugium, etiam quod inter infideles contrahitur, verum esse ac proprie dictum sacramentum; siquidem Apostolus generatim loquitur de omni humano conjugio, de quo dicitur: *«Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae.»* Porro certum est Matrimonium inter infideles longe abesse a conditione et dignitate veri sacramenti.

Frustra, inquam, id reponeretur; quamquam enim de omni humano ac legitimo conjugio generatim loquatur Apostolus, cui communis quaedam sacramenti seu signi ratio convenit, ut antea diximus, unum tamen christianorum conjugium id habet, ut sit verum et proprium sacramentum, atque verba Apostoli per distributionem accommodata, exponere necesse omnino est: solus etenim christianus capax est sacramentorum, quae Christus instituit, atque satis est ad institutum nostrum si ex verbis Apostoli inferamus conjugium humanum a Christo in nova lege evectum fuisse ad dignitatem veri sacramenti.

Non desunt alia apud S. Paulum testimonia, quibus ostenditur Matrimonio, tamquam vero sacramento, annexam esse gratiae promissionem.

1. Cor. 7, v. 14: *«Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.»* *«Quo loco manifestum est, ait Maldonatus de Matrimonio, D. Paulum non agere de sanctitate personarum propria: nam infidelis, propterea quod sit Matrimonio conjunctus fidei, non accipit ullam veram sanctitatem gratiae. Neque loquitur de spe, quasi sensus foret, spes est, ut vir infidelis sanctificetur per mulierem fidelem, id est convertatur ad fidem: quia statim addit Apostolus; Alioqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: ubi filios vocat sanctos, quasi natos de legitimo Matrimonio. Cum ergo de illis generaliter loquatur, et tamen non omnes filii unius parentis christiani, et alterius infidelis fierent christiani, necesse est ut loquatur de Matrimonio, quod semper erat ex se sanctum, quomodo alter conjux esset infidelis. Sensus ergo Apostoli est: Non debent mariti fideles continuo relinquere infideles uxores, existimantes esse immundum et illegitimum hoc genus Matrimonii. Non enim immundum est et illegitimum, sed sanctum, quia, quomodo conjux sit immunda, tamen a meliore parte totum Matrimonium sanctum est: propterea filii ex eo geniti sancti sunt.»*

Ibidem v. 59: « *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino.* » « *Id est, ait ibid. Maldonatus, non nubat tamquam gentilis, sed tamquam christiana, non propter libidinem, sed propter sacramentum.* » Quae interpretatio est S. Jo. Chrysostomi et aliorum Graecorum. Alii verba haec, *in Domino* interpretantur, *in Christo*, hoc est, christiana permaneat, sed Christi religionem occasione novi conjugii non deserat. Alii cum Tertulliano, lib. 2, *ad uxorem*, cap. 2, sic exponunt *Tantum in Domino*: id est *in nomine Domini*, quod est *indubitate christiana.* » Et lib. de Monogamia, c. 7: « *In Domino habet nubere, inquit, id est non ethnico, sed fratri.* » Utramque postremam expositionem refert S. Augustinus, lib. de adulterinis conjugiiis, c. 25: « *Illud in Domino, inquit, duobus modis accipi potest, aut christiana permanens aut christiano nubens.* »

Colossensium 3, v. 19: « *Mulieres subditae estote viris, sicut oportet in Domino.* » « *Graeca phrasis, pergit Maldonatus, hunc sensum prae se fert: sicut decet eas mulieres, quae contraxerunt Matrimonium: non ut gentiles, sed in Domino, id est sancte, rite, sacramentaliter.* »

In eundem sensum adducit id Theologus haec verba Apostoli 1 ad Timoth. 2, v. 15: « *Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione, et sanctificatione, cum sobrietate. Quasi velit significare, inquit, mulierem per ipsum Matrimonium salvam esse* » accedente scilicet gratia sanctificante propria hujus sacramenti.

Quarto, Matrimonium esse a Christo Domino institutum in verum sacramentum, patebit ex tertia conclusione.

Quinto denique, Matrimonium esse signum sacrum in religionem constans, ac perpetuum patebit ex mox referendis traditionis ecclesiasticae monumentis: fuit etenim, et erit semper Matrimonium christianorum sacra religionis caeremonia, certo ritu coram Ecclesiae ministro celebrata; ac secus peractum semper prohibuit, ac detestata est Ecclesia, ait Concil. Trident., sess. 24, c. 1 de Reformatione Matrimonii.

Secunda probatio ex constanti ac perpetua Ecclesiae traditione.

Primum hujus probationis argumentum ex eo petitur, quod apud christianos Matrimonium semper locum habuerit inter res sacras religionis certo ritu a ministris Ecclesiae celebrandas. Ita testantur veteres bene multi.

S. Ignatius vir Apostolorum temporum, in epistola ad Polycarpum: «*Decet, inquit, ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi conjugium faciant; quae nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant.*» Si autem Matrimonium apud christianos res mere profana aut humana fuisset, ad quid sententia Episcopi fuisset necessaria? Fuit autem juxta S. Ignatium, ut nuptiae forent secundum Dominum, hoc est, eam consequerentur benedictionem seu gratiam, quae a Christo annexa est christianorum conjugio.

S. Justinus Martyr, dialogo cum Triphone, ait: «*Connubia Jacobi rei per Christum perficiendae figuram fuisse. Nam, inquit paullo superioris, magnorum sacramentorum oeconomiae et dispensationes, in quolibet ejus generis facta celebratae;*» in veteri scilicet testamento.

Tertullianus, lib. 2 ad uxorem versus finem: «*Unde, inquit, sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet.*» Tria eo in testimonio sunt observatione digna. 1. Ecclesiam Matrimonium conciliare inter fideles christianos; 2. Matrimonium illud oblatione confirmari, hoc est intra missarum sollemnia, oblato ipso incruento sacrificio, perfici; 3. Illud benedictione Ecclesiae obsignari seu ratum fieri.

Et libro de pudicitia, c. 4: «*Penes nos, inquit, occultae quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professae, juxta moechiam et fornicationem judicari periclitantur.*» Quibus certe verbis rursus confirmat Tertullianus, hanc semper fuisse Ecclesiae mentem, ac praxim, ut Matrimonium non occulte et clanculum, sed publice in facie Ecclesiae, ritu et benedictione consueta celebraretur; ac secus inita Matrimonia in suspicionem moechiae et fornicationis venisse.

S. Clemens Alexandrin., l. 3 paedagogi, ejusdem benedictionis videtur mentionem fecisse. Reprehendens quippe mulieres, quae alienis et ascitiis capillis caput suum exornant, seu potius dedecorant, inter alia sic invehitur. « Cui, inquit, manum imponet presbyter, cui benedicet? non mulieri, quae est ornata, sed alienis capillis, et per ipsos alii capiti. »

S. Basilius, Hom. 7 in Exameron: « Jugum, inquit, per benedictionem impositum, distantium sit conjunctio. »

Concil. Carthaginense IV, cui interfuit S. August., an. 398, c. 13, de sponso et sponsa benedicendis sic habet: « Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. »

S. Ambros., epist. 19 ad Vigilium, alias 23, n. 7. « Cum, inquit, ipsum conjugium velaminè sacerdotali, et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fides? »

Innocentius I in epistola ad Vitricium Rothomagensem, cap. 6, postquam dixit primos parentes in paradiso a Deo benedictos cum Matrimonio juncti sunt, addit: « Quam formam etiam sacerdotes omnes servare usus ipse demonstrat Ecclesiae. Satis enim absurdum est, pergit; aliquem credere uxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari: cum benedictio quae per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutae, dicatur. »

Siricius S. P. in epistola ad Himerium Tarraconensem, c. 4: « De conjugali, inquit, violatione requisiti, si desponsatam alii puellam alter in Matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat, omnibus modis inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles ejusdem sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur. »

Isidorus, Hisp., l 2., de Offic., Eccl., cap. 15. « Quod, inquit, in ipsa conjunctione connubii a sacerdote benedicuntur, hoc est a Deo in ipsa prima conjunctione hominis factum. Sic enim scriptum est: Fecit Deus ad imaginem suam masculum et feminam: fecit eos et benedixit eis dicens: Crescite et multiplicamini. Hac ergo similitudine fit nunc in Ecclesia quod tunc factum est in paradiso. »

Plurima subsequentium ætatum in rem eandem omitta hic facimus testimonia; quotquot enim de Matrimonio egerunt scriptores ecclesiastici, benedictionis, et ministerii sacerdotalis mentionem fecerunt. Sic an. 1536 Patres Concilii Coloniensis, part. 7, c. 40, ajunt: *« Quod sacramentum, si quis, sicut decet, acceperit, accedente sacerdotali precatone confert donum Spiritus, quod vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam. »*

Porro ad quid illa obligatio, ad quid preces et benedictio sacerdotalis ritu tam antiquo et constanti supra conjuges usurpatae, nisi ut significetur Matrimonium christianorum sacram et divinam esse caeremoniam, verumque sacramentum ad gratiam sanctificantem nubentibus impertiendam destinatum?

Secundum argumentum petitur ex testimoniis veterum, qui Matrimonium appellant sacramentum, non lato, sed stricto et proprio sensu.

S. Ambrosius, l. 7 de Abraam, c. 7: *« Cognoscimus, inquit, præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patitur alienum thorum pollui; et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti coelestis amittit consortium. »*

S. Augustinus pluribus in locis idem saepius inculcat, L. de bono conjugali, cap. 24. *« Bonum igitur nuptiarum, inquit, per omnes gentes atque homines in caussa generandi est, et in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsa caussa pariendi. »* Opponit ibi sanctus Doctor Matrimonium christianorum Matrimonio infidelium, eoque praesertim titulo distinguit, quod nostrum Matrimonium praeter vinculum et caussam generandi, dignitatem etiam contineat sacramenti: non ea quidem tantum de caussa, quod signum aliquod sit unionis Christi cum Ecclesia (hoc quippe cuilibet humano conjugio proprium est), sed praesertim quod signum sit efficax gratiae quam significat. Eandem oppositionem adducit sanctus Doctor, L. de fide et operibus, c. 7. *« In civitate Domini, ait, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam sacramentum commendatur. »*

L. 9 de Gen. ad litt., cap. 7: *« Hoc nuptiarum bonum, inquit,*

verum tripartitum est: Fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ut praeter vinculum conjugale cum altera vel cum altero non concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur, in sacramento ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa, etiam repudio intercedente, alteri non conjungatur.»

L. de bono conjugali, c. 18 : « *In christianorum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam foecunditas uteri.* »

Lib. 1 de nuptiis et concupisc., cap. 10: « *Sane, inquit, non tantum foecunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides; verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis,* » et cap. 21 : « *Quod ergo, inquit, est in Christo et in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris, atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis sacramentum.* » Minimum dicit in viris et uxoribus sacramentum, ob rebellionem carnis, ac membra, quae post peccatum pudenda sunt, qualia non erant ante peccatum. Hunc sensum indicat series contextus. Aliqui volunt appellari *minimum* a S. Augustino, comparatione ad alia sacramenta, inter quae ultimum locum occupat; quod ajunt veteribus scholasticis occasionem dedisse existimandi, gratiam sanctificantem non conferri per Matrimonium, quod tantum est in remedium concupiscentiae. Deinde comparat Matrimonium baptismo in eo, quod sicut baptimus manet nec deleri potest, etiam cum unus conjugum transit ad haeresim, ita quoque utitur exemplo et comparatione sacramenti Ordinis, ejus character semper remanet, etiam in illo, qui a suo officio suspenditur, sicut remanet firmum ac constans vinculum conjugale in eo, qui vivente sua priori uxori cum altera contrahit.

Probare hic non possumus Vasquesium, cum ait, disp. 2 de Matrimonio se an. 1588, perfectis et attente consideratis hisce S. Doctoris testimoniis, manifeste depredendisse ipsum non loqui de sacramento propria et stricta, sed latiori significatione, prout nempe signum quoddam est unionis Christi cum Ecclesia: adeoque non posse se illius auctoritate uti contra haereticos. Absit enim, ut tanti doctoris praesidio causam catholicam defraudari consentiamus. Quamquam enim Vasquesio demus, sacramenti nomen ab Augustino usurpari interdum sensu improprio ac latiori; sic tamen ab eo dumtaxat usur-

patum fuisse, cum citatis in locis de Matrimonio egit, nec probavit ipse Vasquez, nec nos concedimus, tum quia distinguit S. Doctor Matrimonium christianorum a Matrimonio infidelium, eo praecipue titulo ac nomine, quod prius sit sacramentum, non posterius, licet et istud etiam significet unionem Christi cum Ecclesia. Tum quia decet majorem inesse Matrimonio fidelium firmitatem et indissolubilitatem, quam Matrimonio infidelium; prius enim, si consummatum fuerit, sola morte dissolvi potest, alterum vero dissolvitur per conversionem conjugis infidelis ad fidem christianam, cum nempe alter conjux renuit habitare cum fidei absque injuria Creatoris: ac rationem hujusce discriminis non aliunde repetit S. Augustinus, quam quod conjugium christianorum et supponat sacramentum Baptismi, et sit ipsum verum sacramentum. Tum quia confert Matrimonium fidelium cum sacramentis Baptismi et Ordinis; recesset igitur illud inter vera et proprie dicta legis novae sacramenta. Tum denique quia agnoscit in Matrimonio vim effectricem gratiae, ut ex testimoniis mox citandis patebit: ergo agnoscit Matrimonium esse verum sacramentum.

Eandem post S. Augustinum doctrinam et fidem propugnare et Ss. Pontifices et Concilia.

Lucius III, qui duodecimo floruit Ecclesiae saeculo, in cap. *Ad abolendam, de haereticis*, Matrimonium caeteris Ecclesiae sacramentis accensuit: « Qui, inquit, de sacramento corporis et sanguinis Domini J. C. vel Baptismate, seu de peccatorum confessione, Matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia praedicat et observat, vinculo perpetui anathematis innodamus. »

In Concilio Constantiensi, sess. 15, septem esse Ecclesiae sacramenta adversus Joannem Hus supponitur. Unde Martinus V jubet, ut qui sunt, interrogentur: « An credant, quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis, vel Extremae Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter. »

In decreto Eugenii expresse in numero septem sacramentorum recensetur Matrimonium; neque ea in parte a latina Ecclesia unquam recessere Graeci, sicut compertum est ex censura Confessionis Augustanae, quam tulit Jeremias patriarcha Constantinopolitanus.

Denique in Conc. Trid., sess. 24, can. 1. sic definitur : « *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* »

Tertium argumentum petitur ex testimoniis Ss. Patrum, quibus agnoscunt Matrimonio annexam esse gratiae promissionem. Ita

S. Athanasius, epistola ad Amunem, comparans virginitatem cum Matrimonio, majorem quidem illi, quam isti gratiam tribuit, sed tamen gratiam aliquam Matrimonio annexam esse clare significat : « *Si quis, inquit, nuptias elegerit, culpa quidem vacat, sed tot tantaque non consequeretur dona. Consequenter tamen aliqua, siquidem et ipse fert fructum tricesimum.* »

S. Ambrosius, et cum ipso Patres Concilii Mediolanensis in epistola ad Sirioium S. P. : « *Non negamus, inquit, sanctificatum esse a Christo conjugium, divina voce dicente: Erunt ambo in una carne et in uno spiritu.* »

S. Cyrillus Alexandrinus, Commentario in Joan. Evangelium, l. 2 : « *Ipse (Christus), inquit, invitatus venit (ad nuptias), ut generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat . . . non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed et iis quoque, qui postea nascituri essent, gratiam praestrueret, et eorum ortum sanctum efficeret Praesentia sua nuptias cohonestavit, ipse gaudium et laetitia cum sit universorum, ut veteris partus tristitiam depelleret.* »

Innocentius I, epistola 9 ad Probum : « *Statuimus, ait, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum; conventumque secundae mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum.* »

S. August., in lib. de bono conjugali, totus est ut sacramenti Matrimonii dignitatem, utilitatem et efficaciam demonstret : « *Ad hoc, inquit, c. 5, nuptiae sunt, ut illa concupiscentia reducta ad legitimum vinculum, non deformis, et dissoluta fluctuaret, habens de se ipsam irrefraenabilem carnis infirmitatem, de nuptis autem indissolubilem fidei societatem; de se ipsa progressum immoderate coeundi, de nuptiis modum caste procreandi.* »

Est igitur, iudice S. Augustino, sacramenti Matrimonii propria et specialis haec gratia, nempe ut vinculum seu fraenum concupiscentiae injiciatur, ac servetur thori conjugalis castitas: unde Apostolus, Hebr. 13, vers. 4, « *honorabile connubium, appellat, et thorum immaculatum.* »

Et l. 4 de nuptiis et concupisc., c. 17, gratiam christiani conjugii ad hoc concedi affirmat, « *ut proles non nascatur tantum, sed etiam renascatur,* » nempe per Baptismum, quem pii parentes procurant.

Lib. denique jam citato de Gen. ad litteram g, c. 7, ait « *religiosam educationem prolis* » fructum esse ac finem Matrimonii, qui certe sine gratiae beneficio obtineri non potest.

Conc. denique Trid., sess. 24, cap. unico de Matrimonio, gratiam huic sacramento annexam esse agnoscit verbis antea relatis. Proprius vero et singularis hujus sacramentalis gratiae effectus est, 1. ut conjuges seipsum diligant amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam; 2. ut non amore libidinis, sed prolis suscipiendae convenient; 3. ut prolem sancte educant in fide christiana, Dei timore, ac bonis moribus; 4. ut sibi invicem solatio sint, ferant opera, onera, et labores conjugii pariter tolerant; 5. ut caste utantur jure Matrimonii, etc.

Quartum argumentum petitur ex communi Ss. Patrum doctrina, qui asserunt idcirco Christum voluisse sua praesentia coonestare nuptias in Cana, eisque benedicere, ut significaret eas in nova lege sacras esse debere. Verba Ss. Patrum referemus Conclusionem tertiam mox sequenti.

His omnibus momentis congruas quasdam addunt theologi rationes, quas consulere poteris apud Estium, in 4, dist. 26, §. 7.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabilius nobis videtur, tunc a Christo institutum fuisse sacramentum Matrimonii, cum sua praesentia nuptias coonestavit, eisque benedixit; Joan. 2.

Probatur. Quia haec videtur esse communis Ss. Patrum sententia. Patres Ephesini ajunt: « *Christum dispensatorie ipsis tunc benedi-*

xisse nuptiis, cum in Cana Galilaeae cum sanctis vocatus Apostolis adesse dignatus est.»

S. Cyrillus, in epistola ad Nestorium, eadem verba repetit, et l. 2 in Joan. exponens miraculum conversionis aquae in vinum in nuptiis Cana, docet Christum sanctificasse conjugium, et gratiam nuptiis praeparasse, ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur.

S. Epiphanius, haeresi 67: «*Venerabiles esse, inquit, ac Dei aspirante gratia coeleste regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit ut iis benediceret?*»

S. Augustinus, Tractatu 9 in Joan., evangelicam de nuptiis exponens historiam, docet, ideo Christum nuptiis interesse voluisse, «*ut castitatem conjugalem firmaret.*»

S. Maximus, Hom. 1 de Epiphania Domini, sic loquitur: «*Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum potestate constituit (supple in ratione humani contractus) nunc praesentiae suae benedictione sanctificet,*» quatenus scilicet humano contractui adjunxit dignitatem et efficaciam sacramenti.

Adversus doctrinam Ecclesiae hactenus duplici priori Conclusionem expositam insurgunt haeretici, tum veteres, tum recentiores; quin et nonnulli etiam inter nostros theologos, quamquam animo et consilio longe dispari.

I. Veteres haeretici impugnant nuptiarum honestatem ac bonitatem.

II. Lutherani et calvinistae impugnant in Matrimonio rationem seu dignitatem sacramenti.

III. Durandus et Catharinus quibusdam scholae argutiis et ratiociniis conantur efficere, Matrimonium non esse verum ac proprie dictum sacramentum, cui sit a Christo annexa gratiae promissio. Eorum omnium objectiones separatim proponendae sunt ac diluendae.

Solvuntur objectiones veterum haeticorum adversus bonitatem et honestatem nuptiarum.

Objicies 1. Res ea, cujus usum nonnisi ex indulgentia seu venia concedit Apostolus, culpa non caret, nec consequenter in se bona et

licita videtur. « *Evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam,* » ait S. August, l. de peccato originali, c. 38. Atqui conjugii usum non nisi ex indulgentia seu venia concedit Apostolus, 1 Corinth. 7, v. 6: « *Hoc autem dico, inquit, secundum indulgentiam, non secundum imperium.* »

Huic argumento respondent theologi.

I. Usum quidem conjugii, qui vel propter fugiendam incontinentiam et fornicationem, vel animo explendi voluptatem fit, culpa non carere, saltem veniali; cum vero, qui ex naturali ac divina lege simpliciter ordinatur ad generationem prolis, ab omni prorsus culpa immunem ac liberum esse. « *Non peccat, si nubat,* » ait idem Apostolus. Distinctionem hanc agnovit S. Aug., citato cap. 38 libri de peccato originali. « *Quando, inquit, conjuges, non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, sed lasciviendi voluptate et exsaturandae cupidini inserviunt.* » Et L. de bono conjugali data opera idem momentum versans, postquam initio capitis 10 dixit: « *Eos dumtaxat, qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam Apostoli sententiam: Quod si se non continent, nubant: melius enim est nubere quam uri;* » statim addit: « *Nec ipsis tamen peccato sunt nuptiae, quae si in comparatione fornicationis eligerentur, minus peccatum essent quam fornicatio, sed tamen peccatum essent. Nunc autem quid dicturi sumus adversus evidentissimam vocem Apostoli dicentis: Quod vult, faciat; non peccat, si nubat? Hinc certe jam dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus: nam quis ambigat absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, et aliquando nulla causa procreandi; quem nuptiae non fieri cogunt, sed ignosci impetrant.* » Ita S. Augustinus.

II. Alii respondent, conjugii usum, etiam propter fugiendam incontinentiam et fornicationem, in se bonum esse, honestum ac licitum, tum ex parte objecti, tum ex parte medii: ex parte quidem objecti; quia bonum est, imo et plane sub poena damnationis nobis impositum, ut fugiamus fornicationem. « *Propter fornicationem autem,* inquit Apostolus, 1 Cor. 7, v. 2, *unusquisque suam uxorem habeat.* » Ex parte etiam medii; quia nuptiae, eorumque usus ex se licitae sunt,

ab auctore naturae institutae. Ratio a priori est, quod post peccatum nuptiae non tantum ex ordinatione divina sunt in officium naturae ad generationem proles, sed etiam in remedium concupiscentiae. « *Hanc ob causam*, ait S. Jo. Chrysost., hom. 3, *vidi Dominum, data est illi (viro) mulier adjutrix, ut effervescentem naturam coerceat, ut concupiscentiae fluctus sedet.* » Ita docent vulgo theologi post Concilia Moguntinum, an. 1549, cap. 36; Coloniense, an. 1556, p. 7, cap. 40; S. Th., in 4, dist. 26, q. 2, art. 2 et 3. Indulgentia igitur in citato textu Apostoli, non rem in se malam arguit, sed rem, quam concedit quidem Apostolus, ut in se bonam, sed quam non imperat quasi absolute necessariam: « *Indulgere ibi*, ait Pontius, l. 1 de Matrim., c. 21, n. 3, *non est veniam dare pro culpa, sed concedi aliquid debere.* » Scilicet ex indulgentia concedit Apostolus tamquam minus bonum comparate ad virginitatem, ut unusquisque, fornicationis vitandae causa, suam uxorem habeat. Ita exponunt Altissioderensis, Durand., Paludanus, Capreolus, Cajetanus Sylvester, Joannes Eckius, Fridericus Nausea, Dominicus Soto, Pontius, etc.

III. Respondent aliqui, usum Matrimonii propter voluptatem et delectationem ex se, ac genere suo culpam non habere, nequidem venialem, quia delectatio haec intra limites casti conjugii nihil habet mali in genere morali, cum sit lege naturali necessaria: addunt nihilominus, frequentissime veniali culpa non carere actum hujusmodi, non quidem praevisse, propter ipsam delectationem; sed propter ejus excessum, quem unum a S. Augustino, locis antea citatis, damnatum fuisse contendunt. Ita Pontius, loco mox citato, num. 7, ubi prolixum refert Almaini testimonium; et rursus, l. 10, c. 8, n. 8, idem versat argumentum.

Instabis: Voluptatis ac libidinis sensus separari non potest ab usu conjugii, cui a natura ipsa inditus est: atqui voluptas haec et libido semper ex se culpam habet, saltem venialem, repugnat enim legi Dei, seu legi mentis, teste Apostolo, Rom. 7, et Galat. 5. Igitur usus conjugii, adeoque et conjugium ipsum per se licitum non est.

Respondent 1. nonnulli distinguendo majorem. Voluptatis ac libidinis sensus separari non potest ab usu conjugii quoad actum ipsum, concedunt: quoad intentionem agentis, negant. Quia, inquam, potest

voluntatis consensus ferri in solum actum, ejusque finem, qui est generatio, non vero in libidinem actui conjunctam: quicumque enim in actum aliquem consentit non continuo in id omne consentit, quod est actui conjunctum, ut v. g. claudus in progressionem consentit, non in claudicationem. Cum igitur in usu Matrimonii non quaeritur, neque tamquam finis proponitur voluptas et libido, omnis ex hac parte culpa etiam venialis excluditur.

Respondent 2. alii negando minorem. Sensus enim voluptatis a natura ipsa huic actioni inditus est, nec quidquam in se habet, quod mali moralis rationem induat, quamdiu continet se intra praescriptos sanae rationis ac casti conjugii limites. Non alio igitur sensu voluptas illa seu libido materialiter scilicet, quia ad malum inclinatur pro ea, quae in nobis est post peccatum, infirmitate ac naturae depravatione, non vero mala est formaliter, nec culpae imputatur; nisi cum sola eo in actu tamquam finis proponitur. Excessum igitur voluptatis et libidinis, ad quam proclivis est homo lapsus, damnant in usu conjugii SS. Ecclesiae Doctores, non usum ipsum: «*Neque enim potest homo in impetu libidinis sancta cogitare,*» ait S. Aug., l. 5 contra Julian., c. 10; et l. 1 Soliloquiorum, c. 10, ait: «*Nihil magis ex arce sua virilem animam dejicere, quam blandimenta feminea.*»

Quamquam autem moraliter malus in se absolute non sit usus conjugii, habet tamen aliquid turpe ac deforme, ob rebellionem concupiscentiae adjunctam, quo fit ut S. Hieronymus scribens contra Vigilantium, fatebatur non audere se basilicam martyrum intrare, ac totum se animo et corpore contremiscere, si forte «*nocturnis phantasmatibus delusus fuisset.*»

Agnovit S. Aug., l. 14 de Civit. Dei, c. 17, esse quidem in usu conjugii turpe aliquid physicum, non vero morale: «*Quid, inquit, concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium praescripta tabularum, procreandorum fit causa liberorum, nonne et ipse quamquam sit licitus et honestus remotum ab arbitris cubile requirit? . . . Unde hoc? nisi quia sic geritur, quod deceat ex natura, ut etiam quod pudeat, comitetur ex poena.*» Turpitude igitur, quae annexa est actui conjugali, culpae non est turpitude, sed poenae.

Iustabis: Nonne actus ille malus est moraliter, qui impedit, ne

Deo conjungamur, ne de ipso cogitemus? At talis certe est actus conjugii, ipso teste S. Augustino, lib. 6 contra Julianum, c. 10, citato: non modo enim actus ille corpus polluit; verum etiam mentem deprimit et obnubilat.

Resp. dist. ant. actus qui impedit ne Deo conjungamur habitum excludendo scilicet charitatem, est moraliter malus, concedo; qui impedit ne Deo conjungamur actu, nego. Rem sic explicat Durandus: «*Dicimur, inquit, Deo conjungi dupliciter: uno modo secundum habitum gratiae et charitatis, et illud, quod separat hanc conjunctionem, est peccatum, etiam mortale: alio modo, secundum actum contemplationis et dilectionis: et haec conjunctio potest separari per aliquid, quod non est peccatum, seu per solam occupationem animi circa res exteriores, quantumque licitas. Prima conjunctio non separatur per actum Matrimonii, sed secunda tantum.*» Haec Durandus.

Objicies 2. Ex Apostolo, 1 Cor. 7, v. 7: «*Melius est nubere quam vri.*» Ergo nubere malum est.

Resp. rectam non esse consequentiam: concludi enim dumtaxat potest: ergo nubere minus bonum est. Ita S. Aug. l. 6, de bono conjugali, c. 8: «*Non ergo, inquit, duo mala sunt connubium et fornicatio, quorum alterum pejus: sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius.*»

Idem ante S. Aug, Marcioni reposuerat Tertull., l. 4 adversus ipsum, c. 29: «*Sanctitatem (nempe continentiae) sine nuptiarum damnatione novimus, inquit, et sectamur, et praeferimus, non ut malo bonum, set ut bono melius. Non enim projicimus, sed deponimus nuptias; nec praescribimus, sed suademus sanctitatem servantes et bonum (nempe conjugium) et melius (continentiam scilicet) pro viribus cujusque sectando: tunc denique conjugium exerte defendentes, cum inimice accusatur spurciliae nomine.*»

Objicies 3, ex eodem Apostolo, Rom. 8, v. 8: «*Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*» At conjuges in carne sunt juxta S. Hieronymum, l. 4 contra Jovinianum: Ergo, etc.

Resp. dist. maj. Qui in carne sunt, hoc est secundum carnem, et non secundum spiritum vivunt, ut ait idem Apostolus, v. 4 et 5, ii placere Deo non possunt, concedo: qui simpliciter in carne sunt, hoc

est, utuntur legitime Matrimonio, nego. Unde et nego min. S. autem Hieronymus, suo instituto sententiam Apostoli accommodans, non aliud vult, quam conuges, dum carnali vacant operi, non posse simul vacari orationi et rebus divinis; quod etiam significat ipse Apostolus, 1 Cor. 7, monens conjuges, v. 5, *«ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus ut vacent orationi.»*

Objicies 4. eadem 1 Epistola ad Corinth., cap. 7. Apostolus hortatur quantum potest ad continentiam: ergo innuere videtur Matrimonium non esse quid bonum et honestum.

Resp. nego consequentiam. Honorabile enim est connubium et thorus immaculatus, ex eodem Apostolo; sequitur ergo dumtaxat Matrimonium esse minus bonum virginitate ac continentia, quod quidem profitetur expresse ibidem, Apostolus, v. 38: *«Qui Matrimonio, inquit, jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit;»* rationem reddiderat, v. 33: *«Qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi quomodo placeat uxori et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.»*

Objicies 5. ibidem v. 1, Apostolus ait: *«Bonum est homini mulierem non tangere.»* *«At, inquit S. Hieronym., l. 1 contra Jovinianum, si bonum est mulierem non tangere, malum est eam tangere: nihil enim bono contrarium est, nisi malum. Si autem malum est, et ignoscitur; conceditur, ne malo quid deterius fiat.»*

Resp. Apostolum hoc unum velle, melius scilicet esse atque perfectius servare continentiam, quam nubere. S. Hieronym., eo loco, per malum intelligit minus bonum: *«Neque vero nos, inquit, Marcionis et Manichaei dogma sectantes nuptias detrahimus; nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus . . . Non ignoramus honorabiles nuptias et thorum immaculatum . . . sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quae de nuptiis nascitur, praeferamus.»*

Objicies denique ista verba Davidis ex Psal. 50, v. 7: *«Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.»* Ergo ab actu conjugii separari non potest iniquitas et malitia

Resp. eo loco iniquitatem et peccatum intelligi non matris concipientis, aut patris generantis, sed ejus, qui concipitur, qui nascendo labem originalem contrahit.

Solvuntur objectiones Novatorum adversus sacramentum Matrimonii.

Objicies 1. Nulla est annexa gratiae promissio Matrimonio: ergo non est verum sacramentum.

Resp. Patere ex probationibus conclusionis, quam falsa sit haec Novatorum suppositio.

Objicies 2. Non ideo Matrimonio asserenda est conditio, ac natura veri sacramenti, quod sit signum rei sacrae; quam multa sunt hujusmodi signa, quae vera non sunt sacramenta?

Resp. ex dictis compertum illud ac certum esse, nos non ea tantum de causa Matrimonio rationem veri sacramenti vindicare, quod sit signum rei sacrae, sed quod sit signum practicum seu efficax, cui sit ex institutione Christi annexa gratiae promissio.

Instabis 1. cum Spalatensi omne signum rei sacrae habens etiam annexam gratiam, non est consequenter verum et proprie dictum sacramentum; sic v. g. martyrium, de quo dicitur: *« Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego illum coram Patre meo. »* Et: *« Qui perdidit animam suam in hoc mundo, servabit eam. »* Pariter castitatis professio, quae, Apostolo teste, melior est Matrimonio, non habet rationem veri sacramenti: ergo nec Matrimonium.

Resp. non solam rei dignitatem aut gratiam ipsi annexam sufficere, ut res ea sacramentis evangelicis accenseatur, sed praesertim necessariam esse Christi institutionem; in his etenim rebus tota ratio facti est voluntas facientis. Licet igitur martyrium sit nobilior Poenitentia et Uctione Extrema, non est tamen verum sacramentum; quia non fuit a Christo Domino institutum tamquam instrumentum ordinarium ac perpetuum communicandae gratiae sanctificantis. Eadem de causa continentia seu professio castitatis, quamquam nobilior et perfectior Matrimonio, non habet tamen dignitatem et efficaciam veri sacramenti: neque hic aliam discriminis rationem quaeras, quam ex voluntate Christi repetitur.

Instabis 2. Sacramentum est signum efficiens id, quod significat: atqui Matrimonium non efficit quod significat, siquidem significat unionem Christi cum Ecclesia, quam non efficit.

Hæc objectioni jam supra abunde satisfacimus.

Instabis 3. nullum verum sacramentum potest suscipi ante Baptismum: at, juxta Innocentium III, etiam ab infidelibus suscipitur Matrimonium tamquam sacramentum.

Resp. dist. min. tamquam sacramentum improprie et late sumptum concedo: proprie et stricte, nego. Solutio patet ex dictis antea.

Objicies 3. omne sacramentum debet esse caeremonia exterior religionis: atque nihil tale occurrit in nostro Matrimonio.

Resp. neg. min. ipsa enim externa et visibilis conjunctio viri et mulieris, quæ per solemnia verba coram Ecclesiae ministro fieri solet, nonne exterior est religionis caeremonia?

Instabis 4. Quod in sacramentis habet rationem signi, debet esse a Christo primum institutum: atqui mutuus contrahentium consensus verbis aut signis exterius manifestatus non est signum a Christo primum institutum; erat enim ante Christum talis contractus conjugalus.

Resp. dist. maj. debet esse a Christo primum institutum, in ratione signi efficacis et practici, seu in ratione veri sacramenti, concedo, in ratione signi simpliciter, nego. Quod enim jam erat signum, potuit a Christo assumi ut esset sacramentum: sicut quod antea signum non erat assumi potuit ut signum esset. Sic Deus itidem, quæ ante diluvium erat, sed signum non erat, in signum erexit atque instituit post diluvium, Gen. 9, pariter mutuus contractus conjugalus, qui ante Christum erat nudum ac simplex signum, a Christo evehctus est ad dignitatem veri sacramenti.

Instabis 2. in omni sacramento tria vulgo distinguunt nostri Scholastici, nempe sacramentum tantum, rem sacramenti, et rem ac sacramentum simul: atqui in Matrimonio tria hæc distingui non possunt.

Resp. neg. min., namque æctus contrahentium sunt sacramentum tantum, gratia vero est effectus seu res sacramenti; vinculum autem, quod resultat ex mutua contrahentium pactione, atque perpetuum est, simul et sacramentum, et res est sacramenti.

Objicies 4. usus conjugii est pars sacramenti, ergo gratiam confert: at hoc absurdum plane videtur.

Resp. neg. maj., usus enim ille est quidem officium, sed non est

pars aut essentialis, aut etiam integralis sacramenti. Gratia quidem conceditur ad illum usum intra terminos christianae modestiae et castitatis retinendum, at usus ipse gratiam non confert, tamquam pars sacramenti.

Objicies 5. unum sacramentum non pugnat cum alio sacramento, cum sint ab eodem auctore Christo: atqui Matrimonium pugnat cum sacramento Ordinis; non potest enim in uno eodemque homine simul esse utrumque istud sacramentum: ergo, etc.

Resp. neg. min. ad probationem, dico causam hujus incompatibilitatis non oriri ex aliqua pugna, quae sit inter sacramentum Ordinis et Matrimonium, sed ex statu seu conditione eorum, qui sacris Ordinibus sunt initiati, qui cum voto se obstrinxerint ad servandam continentiam, sunt omnino inhabiles facti jure ecclesiastico ad contrahendum Matrimonium.

Objicies 6. in omni sacramento novae legis distingui potest materia, forma et minister; atqui nihil tale potest assignari in Matrimonio: ergo, etc.

Resp. neg. min., quamquam enim discordes sint inter se nostri theologi in iis assignandis, assignant tamen aliquid, quod in hoc sacramento rationem habeat materiae et formae; assignant pariter ministrum, sive sit ipse sacerdos, sive sint ipsi contrahentes, quam quaestionem solvemus postea.

Objicies 7. nonnulli ex nostris theologis negant Matrimonio annexam esse gratiam sanctificantem. Ita Magister sententiarum et Durandus locis antea notatis: ita pariter nonnulli canonistae, quos ipse appellat Durandus.

Respondent aliqui ex nostris, opinionem Magistri et Durandi excusari posse et benigne explicari. Magistri quidem, qui absolute non negavit per Matrimonium gratiam conferri, siquidem illum veteris legis evangelicae sacramentis accensuit; sed hoc unum videtur ille contendere, nempe gratiam, quae propria est Matrimonii, magis esse in remedium concupiscentiae, seu ad fugiendum malum, quam ad positivam justificationem, quale confert, v. g., Baptismus vel Poenitentia. Durandus vero videtur illis rem assertive non proposuisse, sed dubitanter et inquirendo.

Respondent alii, et nostro quidem iudicio melius, absque praeiudicio rei catholicae, deseri hic posse Magistrum et Durandum, eorum iudicio atque sententia, ut et privatorum quorumcumque, aestimari non debet veritas catholici dogmatis, sed ex communi Ss. Patrum traditione, Conciliorum decretis, ac publicis fidei professionibus ab Ecclesia universa receptis et approbatis. Interim exponendae sunt ac solvendae difficultates, quas objicit Durandus.

Solvuntur objectiones Durandi.

Objicit 1. sacramentum novae legis stricte et proprie sumptum est signum non ex natura sua, sed ex institutione divina; atqui Matrimonium natura sua signum est, unionis scilicet indissolubilis, quae est inter conjuges.

Resp. neg. inq., mutuus enim contrahentium consensus ex divina institutione, non suapte natura significat: 1. Unionem Christi cum Ecclesia; 2. Gratiam, per quam animi et voluntates conjugum ununtur inter se; 3. Ipsum firmum, perpetuum et constantem conjugii nexum. Quamquam enim mutuus consensus aut mutua traditio corporum ex se quamdam habeat inchoatam saltem ad ea tria significanda proportionem, sicut habet, v. g., aqua in Baptismo ad significandam animae munditiam, ea tamen actu significare sive speculative, sive practice non potest, sine speciali Christi institutione.

Objicit 2. caetera sacramenta consistunt in re aliqua sacra, quae applicatur extrinsecus a ministro: at nihil tale deprehenditur in Matrimonio: ergo, etc.

Resp. 1. ad essentiam sacramenti non pertinere quod sit res seu substantia quaedam, quae applicetur suscipienti, sicuti, v. g., est aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione: siquidem in Poenitentia, quam non negat Durandus esse verum sacramentum, nulla occurrit res exterior, seu substantia quae poenitenti applicetur; totum enim istud sacramentum constat essentialiter actibus poenitentis et absolutione sacerdotis. Igitur ad essentiam sacramenti satis est, si occurrat signum aliquod exterius et sensibile, sive res sit et substantia quaedam, sive actio exterior. Unde

Resp. 2. neg. mia. in Matrimonio quippe mutuus contrahentium consensus signum est exterius; atque inter christianos ritu sacro et legitimo celebratus rationem habet et efficaciam veri sacramenti.

At, inquit Durandus, mutuus ille consensus non applicatur suscipienti Matrimonium, sicut aliis sacramentis applicatur res sacra per ministrum Ecclesiae; namque ipsimet contrahentes sibi invicem administrant Matrimonium.

Resp. difficultatem hanc spectare quaestionem de ministro Matrimonii, de quo paullo post. Interim dicimus hanc Durandi instantiam parum urgere: si enim sacerdos est minister, ut multis placet, obiectio locum non habet; sacramentum enim per Ecclesiae ministrum confertur viro et mulieri exterius contrahentibus; si vero ipsi contrahentes sunt ministri, dicemus istud peculiare esse, ac singulare Matrimonium, Deo ita statuente. Neque inde licet inferre, Matrimonium non habere univocam cum aliis sacramentis rationem, Christus quippe sacramenta, ut voluit, instituit. Sic in Baptismo voluit materiam esse elementum naturale; in Confirmatione, non elementum, sed substantiam aliquam; in Poenitentia, nec elementum, nec substantiam, sed actus poenitentis: an inde recte concluditur, sacramenta haec inter se unica ratione sacramenti non convenire? Minime profecto. Ita de Matrimonio sentiendum.

Objicies 3. Matrimonium non confert gratiam: ergo non est verum sacramentum.

Antecedens probat Durandus: 1. quia non confert primam gratiam; non enim institutum est in remissionem peccatorum, sicut Baptismus et Poenitentia; 2. non confert secundam gratiam, hoc est augmentum gratiae primae justificantis, quia si secundam conferret gratiam, sequeretur fore ut iis, qui antea in gratiam Dei continentiam et castitatem servabant, si contraherent Matrimonium, relicto statu perfectiori continentiae, augetur gratia, quod, inquit Durandus, credibile non est; potius enim videtur fore, ut eis minueretur gratia magis quam augetur, cum a perfectiori statu ad imperfectiorem deficerent.

Resp. neg. ant. ad probationem, quae mera est argutia, respondet Bellarminus, l. 1 de Matrim., cap. 5: «*Per Matrimonium conferrit*

gratiam, quae prima et secunda dici potest. Nam etsi hoc sacramentum non sit principaliter institutum ad remittenda peccata, ea tamen remittere potest eo modo, quo a sacramentis Eucharistiae, Confirmationis et Ordinis remittuntur: et si quidem id fiat, erit prima gratia; sin autem, erit secunda.

• *Neque obstat, quod continentia sit excellentior Matrimonio. Nam aliud est comparare statum cum statu, aliud statum cum sacramento: status continentiae altior est et perfectior statu Matrimonii, et majoris gratiae ac meriti; sacramentum nihilominus semper auget gratiam, in quocumque statu suscipiatur. Quare continens, dum contrahit Matrimonium, crescit in gratia: sed si idem continens propter Deum nuptias humanas contempsisset, plus gratiae apud Deum invenisset, quam sit illa, quae per sacramentum Matrimonii datur.* Ita Bellarm.

Objicit 4. in Matrimonio contrahentes de pecunia et dote paciscantur, quod tamen minime liceret, si esset sacramentum conferens gratiam esset quippe manifestum simoniae peccatum.

Resp. pactum illud non spectare Matrimonium, quatenus sacramentum, sed quatenus contractus est civilis, atque referri ad onera Matrimonii, non ad gratiam sacramenti.

Objicit 5. Absque Baptismo nemo capax est sacramenti: atqui infideles sine Baptismo possunt contrahere Matrimonium.

Resp. ut antea, Matrimonium infidelium non esse proprie sacramentum, sed improprie et latiori significatione.

Objicit denique: nihil potest Ecclesia in substantiam sacramentorum: atqui tamen potest Ecclesia declarare nullum esse Matrimonium in certo gradu consanguinitatis contractum, adeoque nullam facere substantiam Matrimonii: ergo Matrimonium non est sacramentum.

Resp. equidem nihil posse Ecclesiam in substantiam sacramentorum, mutando materiam vel formam; at posse in iis sacramentis, quorum materia consistit in aliquo morali, certas quasdam leges, ac conditiones praescribere, quibus omissis inhabiles declaratur aut minister ad conferendum, aut suscipiens ad percipiendum sacramentum. Sic inhabiles ad contrahendum declaravit Conc. Trid. eos, qui non contraherent coram proprio parochio et testibus.

An quodlibet fidelium Matrimonium sit sacramentum, itaut ratio contractus sejungi et separari non possit a ratione sacramenti. :

Sensus propositae quaestionis iste est, utrum fieri possit esse inter fideles christianos verum ac ratum in ratione contractus Matrimonium, quod tamen non sit verum sacramentum.

Negat Thomas Sanchez, l. 2 de Matrim., disp. 10, n. 6, ratus ex institutione Christi rationem sacramenti sic alligatam esse nexu inseparabili conjugali contractui, ut in potestate hominis non sit eam divellere ac distrahere. Ad hanc opinionem accedit cum aliis non paucis Isambertus noster, de sacramento Matrimonii, disp. 3, art. 3, propositione ultima. E contra affirmat Basilius Pontius, l. 1 de Matrim., c. 9. Ratio praecipua haec ipsi est, quod contrahentes hujus sacramenti ministri carere possint debita intentione administrandi sacramentum, quo casu valeret quidem Matrimonium, quatenus contractus est humanus et civilis, careret tamen dignitate et virtute sacramenti. Opinionem hanc sequuntur ex theologis quotquot existimant et sacerdotem ministrum esse sacramenti Matrimonii, et Matrimonium contractum per procuratorem ratum quidem esse in ratione contractus, sed non esse verum sacramentum. Ita Canus, Durandus, Cajetanus, etc.

Observa, in praesenti argumento aliud esse teneri fideles christianos eo ritu ita celebrare semper Matrimonium, ut sit sacramentum, ejusque gratia frui possint; et aliud reipsa ita semper ab illis celebrari: prius verum est, non posterius. Itaque sit

CONCLUSIO.

Potest esse inter fideles christianos ratum ac validum Matrimonium quoad foedus et vinculum perpetuum, quod tamen non sit verum et proprie dictum sacramentum.

Probatur 1. quia nulla satis firma in contrarium videtur opponi ratio theologica. Potissima haec solet adduci, quod nempe non sit penes hominem separare a contractu conjugali eam dignitatem quam

Christus institutione sua ipsi concessit perpetuo duraturam: at haec ratio tantum attendenti demonstrabit, scilicet, nec esse in potestate hominis efficere ut Matrimonium ritu legitimo celebratum non sit inter christianos verum sacramentum, nec christianos ritu nuptias inire debere, quam qui necessarius est ut celebretur sacramentum, quae duo ultro concedimus. At longe aliud est, ut jam observavimus, ad aliquid teneri christianos, et illud ab ipsis semper observari. Tenentur quoties Matrimonium contrahunt, eo ritu contrahere, qui verum efficiat sacramentum, et penes ipsos non est efficere, ut eo ritu legitime posito, non sit verum sacramentum; at reipsa ritum hunc non semper observant. Valet tamen initum Matrimonium in ratione contractus humani et civilis, quoad foedus et vinculum: quemadmodum, vice versa, valere posset Matrimonium in ratione sacramenti coram Deo et Ecclesia, quod tamen nullum foret in ratione contractus civilis, quoad effectus civiles et temporales, proles, scilicet, legitimationem, dotem, successionem et alia huiusmodi, si nempe Matrimonium illud ritu legitimo Ecclesiae celebratum quidem fuisset, verum contra legem principis tale Matrimonium prohibentis sub tali poena civili et temporali.

Probatur 2. quia patebit ex dicendis postea, sacerdotem esse huius sacramenti ministrum, atque verba, quibus contrahentes in Matrimonium conjungit, esse formam. Ex qua opinione sequitur 1. Matrimonia clandestina, quae ante Decret. Trid., celebrata sunt, vera et rata fuisse quoad contractum, ex quo resultat nexus indissolubilis; non autem vera fuisse sacramenta, cum nec per ministrum Ecclesiae, nec forma consueta administrata fuerint. Sequitur etiam post Concil. Trid. Matrimonium quod contrahitur, praesente quidem parcho, sed benedictionem nuptialem recusante, validum esse quoad foedus et vinculum, non tamen verum esse sacramentum. Separari igitur potest inter fideles cristianos a Matrimonio ratio contractus et ratio sacramenti, ita ut validum sit Matrimonium ratione contractus, quamquam non sit verum sacramentum efficiens sanctificantem gratiam: quoties nempe non celebratur eo ritu sacramentali, quem Christus instituit et usurpat Ecclesia. Qui vero inter theologos seu veteres, seu recentiores, (pauci autem non sunt) existimant, ipsos contrahentes

ministros esse sacramenti Matrimonii, illi consequenter docent, a contractu rato et legitimo disjungi posse veram sacramenti rationem, ac Matrimonium clandestinum, ante Concil. Trid., verum fuisse sacramentum, de qua quaestione nihil hactenus Ecclesia pronunciavit.

An Matrimonium inter fideles christianos absentes per procuratorem contractum sit verum sacramentum.

Observa 1. usu Ecclesiae recepto posse valide contrahi Matrimonium inter absentes, per procuratores: qui enim absentes sunt, tam certo possunt consensum suum mediis internunciis significare, ac si praesentes forent.

Observa 2. in procuratoribus has jure canonico desiderari condiciones, ut possint aliorum nomine Matrimonium celebrare.

Prima est, ut procurator habeat speciale mandatum ad Matrimonium contrahendum; nec sufficeret generalis deputatio ad procuranda et gerenda negotia mandantis. «*Procurator, ait Bonifac., VIII, cap. Procurator de procuratoribus in sexto, non aliter censetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale.*»

Secunda est, ut procurator illud onus per seipsum exequatur, dempta ipsi facultate alium in sui locum substituendi. «*Et quamvis alias, pergit ibid. S. Pontifex, is qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit; in hoc tamen casu propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere, non poterit deputare alium, nisi hoc ei specialiter sit commissum.*»

Tertia conditio est, ut procurator non sit revocatus, quo tempore contrahit alterius nomine Matrimonium. «*Si procurator antequam contraxerit, ait ibidem Bonifacius VIII, a Domino fuerit revocatus, contractum postmodum Matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit, cum illius consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequit.*»

Quarta conditio est, ut mandatum illud sit ad contrahendum cum

certa persona, nec sufficit haec clausula «ad contrahendum cum quacumque» ut patet ex lege generali «Digestis de ritu nuptiarum.»

Quinta ut procurator non excedat fines sui mandati: si enim eos excederet, non praesumitur mandans consentire, adeoque nullus foret contractus, ut habetur lege *Diligenter. Digestis: Mandati.*

Sexta denique, ut procurator contrahat observato ritu, quem praescribit Synodus Tridentina, ut nempe coram parochi et testibus celebret conjugium, alias nullum futurum et irritum in iis saltem locis, in quibus viget decretum Tridentinum.

Quid si contingat mandantem post datum mandatum in phrenesim vel amentiam cadere, an stabit conjugium ea perseverante per procuratorem contractum?

Respondet Sanchez, lib. 2 de Matr., disp. 11, n. 12, stare ejusmodi conjugium: «*Quia, inquit, virtute manet prior consensus, cum non sit revocatus; perinde ac Baptismus furiae tempore receptus, petitus ante furiam, validus est.*» Cap. *Majores, de Baptismo.* Idem asserit Joan. Cabassutius juris Canon. Theoria et praxis, l. 3, c. 19: «*Non enim, inquit, requiritur, ut qui mandavit, ratione utatur, dum procurator mandatum exequitur; alioqui si tunc temporis dormiret ac ebrius esset, dicendum quoque esset irritum esse id omne quod a procuratore gereretur, quatenus qui mandaverat, jam usu rationis caret; sufficit enim quod rationis compos mandaverit, et procurator ipse, dum exequitur, ratione utatur.*»

Respondet Pontius, lib. 2 de Matr., cap. 5, n. 14, non valere: «*Quia, inquit, pro forma et causa contractus est consensus expressus per verba procuratoris: at eo tempore impossibilis est consensus: ergo nullum Matrimonium. Adde, si moreretur mandans eo tempore, nihil ageret procurator, ipsa enim morte cessaret consensus; ergo etiam amentia, quae aequiparatur morti quoad consensum.*» «*In quo, pergunt auctor ille, videtur longe diversam esse rationem de mandante, si in amentiam incidet, aut si dormiat: ille enim incapax est habendi consensum, hic vero minime. Neque simile est quod Baptismus petitus ante amentiam, valide conferatur in amentia: nam ut Baptismus effectum habeat, satis est voluntatem praecessisse, neque revocatam; eo enim ipso posita materia et forma, ponitur effectus; at in Matrimonio neces-*

sarius est affectus perseverans, etiam in ipso fieri contractus. » Ita Pontius.

His praemissis, varia est theologorum ad propositam quaestionem responsio.

Prima negat Matrimonium inter absentes contractum per procuratorem, verum esse sacramentum. Ita Durandus, in 4, dist. 26, q. 3, n. 11; Can., n. 8 de Locis, c. 5 ad 5; Cajetanus, tom. 1 opusculorum, tract. 12, quaest. 2, ad quos inter recentiores accedere videtur Estius in 4, dist. 29, §. 5. Fundamenta hujus sententiae ista sunt:

I. Quia perficere vel recipere aliquod sacramentum, importat personalem actum.

II. Quia verba ista: « *Ego te accipio in meam, vel in meum.* » videntur exprimere personam praesentem, quae loquitur: idcirco etenim non potest consecrari absens hostia, aut absolvi poenitens absens, quia in forma consecrationis Eucharistiae adhibetur pronomen demonstrativum, *hoc*, quo materia praesens denotatur; et in forma absolutionis exprimitur persona, quae absolvitur: « *Ego te absolvo.* » At pariter in forma, qua conjuges in Matrimonium junguntur, sacerdos ait: « *Ego vos conjungo.* » Vel si dicas contrahentes esse ministros, quilibet eorum ait: « *Ego te accipio in meum:* » et: « *Ego te accipio in meam.* »

III. Quia etsi sacramento Poenitentiae, quatenus est quoddam iudicium, non repugnet perfici inter absentes, repugnat tamen ea praesertim de causa, quod sacramentum sit. Esto pariter, non repugnet Matrimonio, quatenus contractus est, perfici inter absentes per procuratorem, repugnabit saltem eidem quatenus est sacramentum.

IV. Quia alias fieri posset, ut qui dormiret, vel peccaret, vel gratiam sacramenti perciperet: si nempe quo tempore procurator contrahit, ille, cujus nomine contrahit, dormiret et esset in statu peccati mortalis, quo casu peccaret actu mortaliter percipiendo indigne sacramentum; vel si esset in statu gratiae, dormiendo sacramentalem Matrimonii gratiam perciperet, quae duo videntur his theologis plane absurda.

V. Quia sacramentum est causa physica gratiae: at Matrimonium per procuratorem contractum non potest esse causa physica, quia

nempe consensus eorum, quorum nomine contrahitur, est materia et forma hujus sacramenti; consensus vero ille non amplius physice subsistit, sed effluxit.

VI. Denique, quia doctores oppositae sententiae fatentur laudabile esse, imo necessarium, si postea in praesentia renovetur consensus: at si prius Matrimonium fuit sacramentum, sacrilegum foret illud iterare, cum non adsit nova materia vel forma.

Secunda responsio, quae est Catharini contra Cajetanum, lib. 5, cap. 3; Dominici Soto, in 4, dist. 36, q. 1, art. 3; Navarri, in cap. *Fratres de poenitentia*, dist. 5, num. 95; Isamberti de sacramento Matrim., disp. 3, art. 4, et aliorum multorum, affirmat Matrimonium inter absentes contractum per procuratorem esse verum sacramentum, juxta quos sit

CONCLUSIO.

Matrimonium inter absentes christianos contractum ritu legitimo per procuratorem verum est sacramentum.

Probatur 1. Quia cum Ecclesia hujusmodi Matrimonium ratum habet, non distinguit inter contractum et inter sacramentum; contractus vero conjugalis ritu ecclesiastico celebratus verum est sacramentum.

2. Quia Ecclesia de his Matrimoniis judicat: ergo non sunt intra terminos puri contractus civilis, sed habent aliquid sacri et divini.

3. Quia in Matrimonio hujusmodi nihil desideratur eorum, quae ad verum sacramentum sunt necessaria, nempe Christi institutio, materia et forma legitima, minister Ecclesiae, parochus scilicet, coram quo ex decreto Tridentino celebrari debet Matrimonium ut ratum sit ac firmum.

4. Matrimonium est contractus quidam: sed contractus recte initus inter absentes per procuratorem. Neque ratio sacramenti, quae ad contractum accedit, mutat illius naturam, sed servat integram et ad meliorem sortem evehit.

5. Favet jus canonicum, Innoc. III, in cap. *Ex parte 14 de convers. conjugatorum*; Bonifacius VIII, in cap. *Procurator*, in sexto. Favet et usus apud nos receptus, maxime vero inter viros principes ac primarios.

6. Denique, momenta prioris sententiae negantis adducta satis firma non videntur.

Non primum: Fatemur enim ad personam pertinere perficere vel recipere sacramentum: at in Matrimonio, de quo loquimur, id locum habet; sacerdos enim tamquam minister Ecclesiae perficit, mandantes vero, quorum consensum procurator exhibet, vere percipiunt sacramentum, non ipse procurator, qui tantum est instrumentum: unde non peccat, si dum contrahit alterius nomine, conscius sibi sit alicujus mortalis culpa.

Non secundum: Ex usu enim recepto in Matrimonio quod per procuratorem celebratur, verba haec: *« Ego accipio in meam, aut in meum, »* significant non procuratorem, sed mandantem, cujus nomine loquitur. Ita fert communis usus in contractibus, qui aliorum nomine per procuratores ineuntur. Confirmari potest sumpto argumento a forma consecrandi Eucharistiam, in qua cum celebrans repraesentet Christum Dominum, recte ait: *« Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, »* licet non sit proprium corpus et proprius sanguis sacerdotis loquentis, sed Christi Domini, cujus vices agit ac repraesentat personam. Ad exempla adducta hostiae, quae debet esse praesens ut consecratur, et poenitentis qui pariter debet esse praesens ut absolvatur, facile reponitur. Ad primum: Sicut hostia quae consecratur debet physice esse praesens, ita consensus illorum, quorum nomine procurator contrahit, debet moraliter adesse, sicut de facto praesens exhibetur et significatur per procuratorem. Ad secundum: Ostendimus in tractatu de Poenitentia, non esse contra naturam hujus sacramenti, ut inter absentem ministrum et poenitentem perficiatur; adeoque valeret absolutio absenti data, nisi obstaret Ecclesiae prohibitio, quae potest inhabiles declarare et sacerdotes ad absolvendum, et poenitentes ad recipendam absolutionem, nisi sint praesentes: eo enim in casu sacerdotes privat jurisdictione necessaria ad valide absolvendum.

Atqui hinc patet solutio ad tertium: Ecclesia quippe voluisset esse

irritum sacramentum Pœnitentiæ inter absentes, non vero sacramentum Matrimonii.

Non quartum: Nihil enim videtur absurdi, si qui mandatum dedit procuratori ad contrahendum, dormiens vel peccet mortaliter, vel percipiat gratiam sacramenti, prout nempe affectus erit, quo tempore ipsius nomine Matrimonium contrahitur; ita ut peccet mortaliter, si tunc temporis sit in statu peccati mortalis; vel percipiat gratiam, si sit debite praeeparatus ad illam percipiendam. Ratio est, quia consensus illius antea datus nec revocatus moraliter perseverat et praesens est; ac sufficit ut homo ille etiam dormiens Matrimonio jungatur, reus sit peccati, vel gratiam sacramenti percipiat: sicut contingit in eo, qui postquam suum de percipiendo Baptismo desiderium significavit, baptizatur, vel dormiens vel in phrenesim versus; censetur quippe perseverare consensus illius antea datus et cognitus.

Non quintum: sacramenta enim non sunt causae physicae, sed morales dumtaxat gratiae, sicut manifestum est in Baptismo fide suscepto, qui recedente fitione operatur, etsi jam physice transierit actio baptizantis.

Non sextum. In dubio etenim recte consulitur, et usus obtinet, ut qui absentes contraxerunt, renovent consensum, cum praesentes erunt, coram parochio benedictionem impertiente: ita omnis scrupulus et anxietas amovebitur; nihil enim in praesenti quaestione certum et definitum habemus ab Ecclesia.

An in lege evangelica Matrimonium infidelium inter se, vel fidelis cum infideli, aut cathecumeno, aut etiam haeretico, sit sacramentum licitum.

Consideramus hic Matrimonium quod contrahitur ab utroque conjugate infideli, vel ab uno fidei et altero gentili, aut cathecumeno, aut etiam haeretico, et quaeritur:

1. An, post Christum licitum sit, ratum, et validum matrimonium quod infideles contrahunt inter se et an sit verum sacramentum.
2. An Matrimonium fidelis cum infideli sit quoque sacramentum, saltem ex parte fidelis, sicut existimat Catharinus.

3. An Ecclesia prioribus saeculis toleraverit Matrimonia fidelium cum infidelibus vel cathecumenis.

4. An Ecclesia semper prohibuerit Matrimonia christianorum cum infidelibus, tamquam illicita, propter adjunctum subversionis periculum: et an jure ipso divino positivo sint illicita et prohibita.

5. An jure naturali et ecclesiastico illicita sint Matrimonia orthodoxorum cum haeticis.

PRIMA CONCLUSIO.

Verum est, ratum ac firmum Matrimonium inter infideles legitime contractum, non tamen sacramentum, nisi sensu latiori ac improprio.

Dico legitime contractum, idest servata lege naturali ac civili principum, quibus subditi sunt, contrahendi forma.

Probatur prima pars: quia infideles possunt contractum conjugalem inire inter se, qui nisi aliqua lege principum, quibus subditi sunt, irritetur, ratus est ac firmus. Unde Apostolus, 1 Cor. 7, v. 12, jubet, ne infidelis, qui ad fidem convertitur, dimittat uxorem quam in infidelitate duxerat, si consentiat illa pacifice habitare cum ipso: at id non permetteret Apostolus, nisi supponeret verum et ratum fuisse quod praecesserat Matrimonium: «*Si quis frater, inquit, uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.*» Ita pariter statuit Innoc. III, cap. *Gaudemus, et quanto. De divortiis*: «*Per sacramentum Baptismi, inquit, non solvuntur conjugia, sed dimittuntur peccata.*»

Altera conclusionis pars ex dictis antea manifesta est, quibus adde neminem ante Baptismum capacem esse veri sacramenti.

Majorem difficultatem patitur secunda quaestio, utrum, scilicet, Matrimonium fidelis cum infidelis sit sacramentum. Ubi observa, quaestionem in ea hypothesis proponi, in qua per Ecclesiae dispensationem liceret tale inire Matrimonium; certum quippe est, jam a multis saeculis cultus disparitatem unum esse ex impedimentis Matrimonium dirimentibus. Non igitur jure divino, nec consequenter naturali invalidum est Matrimonium fidelis cum infideli, et reipsa mox patebit,

quinque prioribus saeculis Ecclesiam saltem tolerasse aliquarum mulierum sanctarum contractas cum infidelibus nuptias: ergo jure tantum civili aut canonico subsequentibus temporibus nulla et irrita declarata sunt. Legibus scilicet Valentiniani et Valentis, l. 3. Cod. Theodos., tit. 15, et l. 9, tit. 54, ubi ejusmodi connubia christianorum cum infidelibus poena capitis plectuntur. Quae quidem leges ita sensim obtinuerunt, ut ante duodecimum saeculum, ejusmodi conjugia ubique pro irritis haberentur, ut constat ex Magistro. Sent., l. 4, dist. 39. Rata igitur et valida praecedentibus saeculis fuere, quamdiu nulla lege aut civili aut ecclesiastica irrita leguntur.

Existinant igitur nonnulli cum Catharino, et Dominico Soto, Matrimonium fidelis cum infideli sacramentum esse, saltem ex parte conjugis fidelis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nulla satis firma ratione demonstratur, Matrimonium fidelis cum infideli ritu legitimo contractum non esse sacramentum ex parte fidelis.

Prob. 1. Apost., 1 Cor. 7, v. 14: «*Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem,*» quae verba nos cum Maldonato supra exposuimus de sanctitate ipsius matrimonii, non de sanctitate sola personarum. Eundem textum in confirmationem conclusionis adducit Catharinus. Respondet quidem Vasquez, disp. 2 de Matrimonio, c. 10, solvens istud Catharini argumentum, non loqui Apostolum de Matrimonio, quod contrahit fidelis cum infideli, sed de illo quod fuerat contractum ab utroque conjugate infideli, et quod dissolvi non debere docet Apostolus, per conversionem unius ad fidem, modo pars altera consentiat pacifice et sine injuria Creatoris habitare. Idem quoque respondet Estius, in 4, dist. 39, §. 2, in responsione ad 3. Verum patebit textum Apostoli attente legenti, nullum esse hujusce responsionis fundamentum.

Prob. 2. Quia aequum non videtur ut quo tempore Ecclesia saltem toleravit, ob publicam utilitatem, Matrimonia fidelium cum infidelibus debite contracta, fideles privati fuerint sacramento Matrimonii, ejusque fructu.

Prob. 3. Quia «*nulla absurditas est,* ait Dominicus, Soto, in 4, Vol. XIV.

dist. 28, q. 2, art. 2, in fine, *si dicatur esse sacramentum ex parte viri, qui capax est illius recipiendi, nec tamen ex parte feminae, quae illius incapax est.* Et vero praecipua et fere unica ratio adversae sententiae haec est, tum quia Matrimonium debet esse inter duas personas; sicut ergo non potest esse contractus ex una parte, quin vicissim sit ex altera; ita pariter non potest esse sacramentum ex parte unius, quin simul sit ex parte alterius; at certum est ex parte infidelis conjugis Matrimonium non esse verum sacramentum; ergo neque ex parte fidelis. Tum quia materia hujus sacramenti est mutuus consensus; at consensus ille ex parte conjugis infidelis non potest habere rationem materiae sacramentalis.

At duplex ista ratio satis firma non videtur. Non prima: quia cum uterque conjux sit capax Matrimonii, quatenus contractus, necesse prorsus est ut contractus ille sit mutuus ac reciprocus; e contra, cum pars infidelis non sit capax sacramenti, sicut pars fidelis, non repugnat conjugalem illum contractum esse sacramentum ex parte unius, et non esse ex parte alterius. Non secunda: licet enim consensus conjugis infidelis non sit materia sufficiens ut ipse percipiat sacramentum, est tamen materia sufficiens ex parte fidelis: potest enim quis idonea materia erga seipsum carere ad sacramentum, cujus est incapax, et eam alteri sufficientem exhibere, qui capax est percipiendi sacramenti.

Quaeres 1. an infidelis, qui ante Baptismum semel Matrimonio junctus fuit, et iterum mortua priori uxore post Baptismum alteram ducit, vere sit bigamus et irregularis ad sacros Ordines.

Resp. variam esse Graecorum et Latinorum eam in rem disciplinam; Graeci vere bigamum non putant, nec irregularem; secus vero Latini, quia revera duas ille successive uxores habuit.

Quaeres 2. quid, sentiendum de Matrimonio, quod duo apostatae religionis christianae apud infideles ritu infideli contrahunt, an ratum sit, et si ad Ecclesiam redierint, sit iterandum.

Resp. nullum illud esse, ac iterandum si ad Ecclesiam redeant. Ratio est, quia cum illi sint baptizati legibus Ecclesiae obstricti tenentur, ac nullum est eorum conjugium, quod, secundum Ecclesiae leges, non contrahitur,

TERTIA CONCLUSIO.

Ecclesia prioribus quinque saeculis toleravit legitima Matrimonia fidelium cum infidelibus, vel cathecumenis, ubi nullum aderat certum subversionis periculum.

Probatur 1. Exemplo sanctarum mulierum, quae primis temporibus absque ulla ecclesiastica censura gentilibus nupserunt.

Ipsa tempore Apostolorum Eunice Thimotei mater fidelis erat, quam laudat S. Paulus, 2 ad Tim. 1, v. 5 et tamen nupserat gentili, teste S. Luca, Actorum 16, v. 2.

S. Caecilia virgo romana Valerianum infidelem sponsum habuit; sancta pariter Monica Augustini mater virum duxit infidelem, referente ipsomet Augustino l. 9 Confess., cap. 9. S. Clotildis christiana nupsit Clodovaeo Francorum regi ethnico, teste Gregorio Turonensi, l. 2 Hist., c. 28. Idem legere est de multis aliis piis christianis mulieribus, Bertha, Dingonda, Theodelinda, quae memorantur a Beda Venerabili, l. 1 Historiae Anglorum, c. 25, et l. 2. c. 9.

Probatur 2 testimonio S. Hieronymi et Augustini, qui non dissimulat frequentissima fuisse suo tempore conjugia fidelium cum infidelibus: « *Nunc, inquit, S. Hier., lib. 1, contra Jovinianum, pleraeque junguntur gentilibus,* » quod quidem improbat S. Aug., lib. de fide et operibus, cap. 19, licet tam usitata sua aetate testetur ejusmodi connubia: « *Ut nostris, inquit, temporibus, jam non putentur esse peccata, quoniam revera in novo Testamento nihil inde praeceptum est; et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum.* » Agnoscit his verbis S. Doctor in novo testamento nullum extare contra hujusmodi connubia praeceptum.

Ante illos Tertullianus eundem viguisse morem testatur, quem totis impugnat viribus in lib. ad uxorem. Toleravit ergo saltem quibusdam in circumstantiis Ecclesia hujusmodi mulierum piarum cum viris infidelibus conjugalia foedera; neque tamen eas omnes in hoc peccasse, Estio concedimus; merito enim praesumimus, omni prorsus remoto periculo subversionis et nonnisi injecta maxima spe

promovendae rei christianae, mulieres illas fideles ad tales nuptias convolasse. Hac etenim via utilitatis plurimum religioni christianae accedere poterat, sive per conversionem infidelium, quomodo Monica Patricium, Caecilia Valerianum, Clotildis Clodovaeum Christo acquisivere, sive gratiam, auctoritatem et protectionem, qua viri gentiles causam catholicam aut promovebant, aut saltem non laedebant, in gratiam scilicet suarum uxorum. Similibus de causis in veteri lege Esther Judaea nupsit Assuero idololatrae. Samson Dalilae Philistaeae, quamquam lege generali Deutoronomii 7, v. 3, Deus prohibuisset, ne filii Israel Matrimonio jungerentur cum Chanaanais, ceterisque alienigenis idololatriis.

Tolerasse pariter Ecclesiam Matrimonia fidelium cum cathecumenis nondum baptizatis, ostendit manifeste priorum temporum necessitas, cum nempe usus invaluerat nonnisi tarde et ad propectam aetatem accedendi ad Baptismum, quod factitatum, legimus a Constantino Magno, Valentiniano juniore, S. Ambrosio, et aliis bene multis. Hoc sensu Conc. Agathense an. 506, Can. 67, statuit: « *Quoniam, inquit, non oportet cum omnibus haereticis miscere connubia, et vel filios dare, sed potius accipere; si tamen profitentur christianos futuros se et catholicos.* » Videntur Patres illi haereticorum nomine infideles etiam complecti, siquidem christianos et catholicos distinguunt, haeretici autem sunt christiani. Itaque, juxta decretum istud agathense, fidelis potest cum non christiano seu infideli conjugio copulari, si promittat ille se futurum christianum: atqui tales erant cathecumeni Baptismatis candidati; ergo fidelium cum cathecumenis connubia saltem toleravit prioribus temporibus Ecclesia. .

QUARTA CONCLUSIO.

Ecclesia generatim semper prohibuit Matrimonia christianorum cum infidelibus propter adjuncta pericula; an vero ipso jure divino positivo sint illicita et prohibita, res videtur incerta et dubia.

Prima pars conclusionis probatur 1 ex Apostolo, 1 Cor. 7, v. 40, ubi de vidua christiana dicit: « *Cui vult, nubat tantum in Domino;* »

idest, christiano. Sic interpretantur Tertull., l. 2 ad uxorem, cap. 2, S. Hier., lib. 1 contra Jovinianum, cap. 5; Auctor Commentariorum in Epist. S. Pauli; Theodoretus, etc. 2 Cor. 6, vers. 14: «*Nolite, ait idem Apostolus, jugum ducere cum infidelibus: quae enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras?*» Quae verba de Matrimonio cum infideli non contrahendo exponunt Ss. Cyprianus, lib. 5, testimoniorum ad Quirinum, Hier., lib. 1 contra Jovinianum, c. 5, Jo. Chrysost. et Theodoretus in hunc locum. Dubium quidem est inter theologos, an Dei mandatum, an suum dumtaxat vel consilium vel mandatum eo loco exprimere voluerit Apostolus: sed ea jam seposita lite, de qua mox, saltem his verbis efficitur, votum Apostoli esse, ut fideles christiani abstineant a nuptiis cum infidelibus contrahendis.

Probatur 2. multis Conciliorum Canonibus, quibus prohibentur ejusmodi nuptiae. Ita Conc. Eliber., Can. 15: «*Propter copiam puellarum, inquit, gentilibus minime in Matrimonium dandae sunt virgines christianae, ne aetas in flore tumens, in adulterio animae resolvatur;*» et Can. 16: «*Sed neque Judaeis, neque haereticis dari placuit; eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.*»

Similis prohibitio legitur facta a Conc. Laodiceno, can. 10; Carthaginensi 3, can. 12; Chalcedonensi Oecumenico can. 14; Agathensi, can. 67; Burdigalensi anno 1583, c. 15, et aliis bene multis.

Caussam et rationem hujus prohibitionis repetunt ex gravissimis periculis, quibus subjacere solent ejusmodi connubia, quo fit ut jure naturali prohibita sint: tenetur etenim quisque, ipsa dictante lege naturae, tum suae, tum prolis incolumitati ac saluti consulere: 1. propter periculum subversionis in fide. «*Non ingrediemini ad eas (filias gentilium) certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum,*» ait Deus, l. 3, Regum, c. 11, v. 2. Eadem ratio indicatur Deuteronomii 7, v. 3; 2. Propter periculum perversae educationis filiorum; 3. propter rixas et contentiones, quae in religionis causa ardentiores sunt et frequentiores; 4. propter impedimenta, quae maritus infideli opponet exercitiis pietatis christianae quae mulier fidelis obire tenetur, quae incommoda vivide exponit ac urget; Tertull., l. 2

ad uxorem, c. 2. Multa in rem eandem adduci hic possent Ss. Patrum testimonia; unus sufficiet S. Ambr., epist. 19, quae est ad Vigilium, alias 25: « *Nihil gravius, inquit, quam copulari alienigenae, ubi et libidinis et discordiae incentiva, et sacrilegii flagitia constantur. Nam cum ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione potest esse conjugii communis charitas? Saepe plerique capti amore feminarum fidem suam prodiderunt;* » et lib. 1, de Abraham, cap. 9: « *Cum sancto, inquit, sanctus eris, et cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro et unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo cave, christiane, gentili aut judaeo filiam tuam tradere. Cave gentilem, judaeam atque alienigenam, hoc est, haereticam et omnino alienam a fide tua, uxorem accersas tibi.* »

Licet vero generatim loquendo pericula haec annexa sint ejuscemodi connubiis, adeoque generatim haec prohibita sint, nihilominus quia fieri potest, et aliquando contingit, ut iis periculis careant in certis circumstantiis, inde potuere aliquando, illaesa conscientia, ita permittente vel saltem tolerante Ecclesia, fideles Matrimonio jungi cum infidelibus, ut diximus superiori conclusione: neque vero necesse est, ut casus illos peculiare excepterint in sua prohibitione Canones, lex quippe attendit potissimum ad id quod vulgo et communiter contingit, non ad casus singulares.

Secunda pars conclusionis probatur testimonio S. Augustini, lib. de fide et operibus, cap. 19, ubi ait: « *S. Cyprianum in epistola de lapsis inter malos christianorum mores computare, jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii, quod nihil aliud est, assererat, quam prostituere gentilibus membra Christi: quae nostris temporibus, (pergit S. Aug.) jam non putantur esse peccata, quoniam revera in novo Testamento nihil inde praeceptum est; et ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum.* » Quod confirmat ibid. S. Doctor aliquibus aliis exemplis rei incertae, nec satis liquido per Scripturam definitae. Idem rursus testatur, l. 1 de adulterinis conjugiiis, cap. 25, ubi exponens ista verba Apostoli: « *Cui voluerit nubat, tantum in Domino.* » Quod,

inquit, duobus modis accipi potest; aut christiana permanens, aut christiano nubens. Non enim tempore testamenti revelati novi in Evangelio vel ullis Apostolicis litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles cum infidelibus jungi. Quamvis B. Cypr. inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii. Igitur, judice S. Aug. res haec obscura est ac dubia, atque inde nata varia interpretatio istorum Apostoli verborum «*tantum in Domino.*»

Et certe nihil est apud Apostolum ex quo necessario inferri debeat, jure divino ac praecepto positivo prohibita esse conjugia christianorum cum infidelibus, secluso subversionis periculo: (eo enim tamquam certo supposito, dubio procul, jure ac praecepto tum naturali, tum divino, tum ecclesiastico positivo prohibentur) nihil, inquam, est, ex quo illud debeat necessario inferri.

Non ex istis verbis «*nubat tantum in Domino,*» quia eorum non una est apud veteres interpretatio, ut observatum antea fuit, cum demonstrabamus ex Scripturis, Matrimonium esse sacramentum habens annexam gratiae promissionem.

Non etiam ex istis «*nolite jugum ducere cum infidelibus;*» dici enim potest eo loci Apostolum speciatim non loqui de jugo matrimoniali, de quo nulla eo in capite mentio, sed generatim eum prohibere, ne christiani, nimia sua consuetudine et commercio cum gentilibus, eorum promoveant et adjuvent errores; hoc enim proprie significat vox graeca *επεροξήνοῦντες* idest *adjutores infidelium*, ait Maldonatus de Matrimonio, part. 3, q. 2, metaphora ducta a jugo boum, qui ad idem onus trahendum alligantur. Et vero si ex istis verbis probaretur, jure ac praecepto divino ex sese illicita esse Matrimonia christianorum cum infidelibus, irrita quoque et nulla esse ex iisdem posset inferri, quod tamen directe pugnat cum doctrina Apostoli, 1 Cor. 7, v. 12 et 13.

Non etiam ex verbo *nolite*: eo quippe non semper praeceptum, sed aliquando etiam consilium significat Apostolus, 1 Cor. 7, v. 27: «*Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem:*» quo certe loco consilium dat, non praeceptum. Dicit igitur non immerito posset, his verbis «*nolite jugum ducere cum infidelibus,*» Apostolum non praece-

ptum, sed consilium dedisse. Rationem idoneam maxime videtur afferre Dominicus Soto, in 4, dist. 17, qu. 3, art. 1: « Quod apostoli, inquit, non erant tantum Apostoli, verum etiam et Ecclesiae rectores et pastores, sicut modo et summus et reliqui Pontifices: unde quatenus Apostoli, utebatur spiritu prophetico, quo sacram Scripturam condebant: sed quatenus pastores et praelati statuebant in concilio leges, ut Act. 15, et consilia dabant, ut 1 Cor. 7 Paulus, praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.»

QUINTA CONCLUSIO.

Illicita sunt, non tamen nulla, jure naturali et ecclesiastico, Matrimonia orthodoxorum cum haereticis legitime contracta, idest servatis Ecclesiae legibus: an vero per dispensationem licita fieri possint, disputant theologi.

1. Illicita esse ejusmodi connubia, demonstrant eadem plane causae, et rationes quibus conclusione quarta mox vidimus non licere christianis jungi cum infidelibus foedere conjugali, ob praesentia nimirum pericula seductionis, perversae proles educationis, rixarum ac contentionum et aliorum hujusmodi: « Cum enim, inquit Estius, in 4; dist. 39, §. 4, haeresis sit pessimum infidelitatis genus, eo minus conjugia cum haereticis permitti debent, quo et periculosior est cum illis conversatio et difficilior eorum conversio.» Adde pluribus Ecclesiae canonibus prohibita passim esse hujusmodi Matrimonia, Conciliis Laodicensi, Chalcedonensi, Eliberitano, Carthaginensi III, Agathensi, etc.

2. Matrimonium catholici cum haeretico ratum esse ac validum, patet, quia nullo jure declaratur nullum. Non naturali: disparitas enim religionis non est impedimentum jure naturali dirimens, ut per se manifestum est; in lege siquidem naturae Esau cum mulieribus idololatriis junctus est, quas tamen Scriptura ejus uxores appellat. Non divino: quia verba haec S. Pauli, ex quibus dumtaxat colligi jus illud posset: « Nolite jugum ducere cum infidelibus, » theologorum fere omnium consensu prohibita solummodo et illicita, non invalida declarant haec Matrimonia. Non denique jure ecclesiastico, quia nullo

Ecclesiae Canone aut statuto invalida et irrita declarantur, dummodo legitime servatis Ecclesiae legibus, quibus haeretici propter Baptismum tenentur obstricti, contracta illa fuerint; si enim cum aliquo dirimente impedimento contracta fuissent, nulla procul dubio forent, ac iteranda, si abjurata haeresi ad Ecclesiae sinum se recipiant.

ADDITIO.

Sed nostris temporibus solenne habuimus Romanae Sedis iudicium. Benedictus enim XIV, an. 1744, in declaratione et institutione, quae extat tom. I ejus Bullarii, n. 34 definit Matrimonia quae in foederatis Belgii provinciis a catholico viro aut muliere cum haeretica foemina et viro contrahuntur, nulla non esse, sed valida, etsi sine catholici parochi praesentia contrahantur.

3. An ejusmodi Matrimonia orthodoxorum cum haeticis ita sint per se illicita, ut nullo casu separari ab illis possint dicta pericula, adeoque nec licita unquam fieri per dispensationem S. Pontificis aut Episcoporum, res est apud theologos dubia et incerta.

Sunt enim, qui negant unquam ea licita fieri posse: tum propter inseparabile periculum seductionis, tum maxime propter reverentiam, quae debetur sacramento, cujus sanctitatem numquam licet exponere profanationi. Porro, inquirunt, iniri numquam potest Matrimonium orthodoxi cum haeretico absque evidenti profanatione sacramenti, sive ex parte sacerdotis, qui administrat notorie indigno sacramentum; sive ex parte orthodoxi, qui vel administrat haeretico (si contrahentes ministri sint hujus sacramenti, ut opinantur multi) et ab eo percipit, vel saltem ipsi est occasio percipiendi indigne sacramentum, quod certe vetat charitas. Addunt, licitum nusquam esse in rebus sacris et divinis communicare cum haeretico notorie excommunicato.

Alii, e contra, existimant, omni sublato subversionis evidenti periculo, quod non videtur ipsis inseparabile in quibusdam circumstantiis, licita fieri posse conjugia orthodoxorum cum haeticis, ex dispensatione S. Pontificis, ob bonum scilicet publicum Ecclesiae, vel regnorum pacem et familiarum concordiam, in iis maxime locis, in quibus

haeretici catholicis permixti vivunt; idque confirmant multis exemplis dispensationum, quas concessere Ss. Pontifices post Gregorium XIII. Clemens VIII, dispensavit cum duce Barriensi, ut Catherinam Henrici IV, Francorum regis sororem, sed haereticam, duceret. Urbanus VIII, an. 1625, dispensationem concessit, ut Henricia Ludovici XIII regis christianissimi soror Carolo Anglorum regi haeretico nuberet, ut catholici in Anglia liberius catholicae religionis officia exercerent.

ADDITIO.

(*)

« Clemens quoque XI in responso ad Herbipolensem Episcopum, qui pro dispensatione ad contrahendum Matrimonium inter partes, alteram Catholicam, alteram haereticam eidem Pontifici supplicabat, ait, Ecclesiam Dei a Catholicorum cum haereticis conjugio abhorrere, NISI id totius Christianae Reipublicae bonum exposcat. Sumit ergo Pontifex, publica postulante causa, ceterisque conditionibus desideratis posse a Romana Sede in hisce conjugii dispensari. »

(*)

In hujusmodi autem nuptiis benedictionem sacerdotalem dari prohibuit Clemens VIII. Inter articulos, quos Gallicani Episcopi Regi Christianissimo an. 1670 obtulerunt, iste legitur, de quo conqueruntur : *Quand un Catholique veut épouser une fille de la Religion prétendue réformée, il fait sommer le Curé de sa paroisse par un Notaire ou par quelque autre personne publique de lui donner la bénédiction nuptiale, en déclarant qu' il prend une telle pour sa femme, come elle déclare qu' elle le prend pour son mari ; et d' autant qu' ils ne sont pas dans le respect ni dans la disposition requise pour recevoir ce sacrement, le Curé fait aussi refus de benir le Mariage, dont ils prennent Acte par devant le Notaire qui les assiste, après quoi ils vivent comme mari et femme.* Abusum hunc ut tollat Rex Christianissimus supplex postulat clerus Gallicanus.

Porro dicere illas dispensationes nullas fuisse, irritas, injustas et Ss. Pontifices potestate sua abusos fuisse durum sane videtur, imo et temerarium theologis, quorum hic referimus sententiam. Ita inter ceteros Basilius Pontius, in appendice de Matrimonio catholici cum haeretico, c. 8, n. 6, et c. 5, n. 2, ubi ait nullum se legisse auctorem qui scripserit conjugium orthodoxi cum haeretico ita esse illicitum, ut nullo prorsus casu ex dispensatione S. Pontificis licitum evadere possit. Ipsi suffragatur Isambertus noster, de Matrimonio, disp. 9, art. 7.

Ad momenta vero prioris et oppositae sententiae respondent.

Ad primum separari dumtaxat posse aliquibus in circumstantiis pericula illa memorata a conjugii catholicorum cum haeticis, quibus certe sepositis periculis, nihil est, quod illicitam faciat et dispositionem S. Pontificis vel Episcoporum, et conjunctionem illam maritalem.

Ad secundum; negant necessario annexam esse huic Matrimonii celebrationi irreverentiam et prophanationem sacramenti saltem ex parte catholici, quaecumque tandem eligatur opinio circa ministrum ipsius. Namque si sacerdos est minister, indigno quidem (haeretico scilicet) sacramentum conjugii administrat; ut sine ulla ex parte sui culpam: tum quia minister est publicus, qui sacramentum publice petenti cum legitima superiorum dispensatione denegare potest: tum quia prophanationem hanc ipse non intendit; tum quia haeticus contrahens utitur jure suo, cum postulat ab ipso sacerdote Matrimonio conjungi. Si vero contrahentes sunt ministri, neque etiam eo praecise peccare videtur pars catholica quod parti haeticae vel administret, vel ab ea percipiat sacramentum; siquidem jure suo utitur, sive ut det sive ut accipiat illud sacramentum: quemadmodum non peccaret, si peteret sacramentum a ministro, quem sciret excommunicatum; sicut etiam non peccat qui ab usurario publico pecuniam sub gravi foenore accipit, ut rebus suis premente necessitate consulat, quia nempe jure suo utitur, nec hanc in usurario perversam facit animi dispositionem, sed supponit, quam optaret non esse.

At saltem, inquit, pars catholica occasionem dat haeretico prophanandi sacramentum.

Respondet Isambertus loco cit.: *«id per accidens fieri respectu viri catholici: Cum tunc, inquit, suo jure tantum utatur, nec ullo modo habeat animum partem secum contrahentem impellendi ad peccatum, sed ejus dumtaxat voluntate ad id faciendum disposita utendi.»*

Ad tertium, ajunt in casu proposito licitum esse communicare cum haeretico, sublata nempe per legitimam dispensationem prohibitionem. Addunt, in celebrandis hujusmodi conjugiiis hanc observari formam, ut nec offeratur sacrificium altaris, nec fiat benedictio, sed simpliciter adsit sacerdos, in iis nempe locis, quibus viget lex tridentina; unde id sequi videtur, ejusmodi Matrimonium defectu benedictionis sacerdotalis, verum non esse sacramentum, tametsi ratum et validum sit quantum ad nexum et vinculum perpetuum. Clare ac nitide istud exponit statutum synodale Ebroicense, an. 1576, sedente episcopo Claudio Sanctesio, qui Concilio Trid. interfuerat: *«Si, ait statutum apud Bochel decreto Ecclesiae Gallicanae, l. 3, tit. 5, c. 82, in haereticorum conventiculo, redeuntes ad Ecclesiam vir, et uxor Matrimonium contraxerint et celebraverint, statuimus, cessante omni alio canonico impedimento, ipsis in facie Ecclesiae benedictionem sacerdotalem in nuptiali missa a curato vel vicario conferri, ne saltem dubitari possit, an eorum Matrimonium careat sacramenti ratione et gratia.»*

An Matrimonium inter infideles contractum, accedente Baptismo, evadat sacramentum.

Affirmant nonnulli, quorum aliqui dicunt, statim per Baptismum, absque ullo novo consensu, Matrimonium fieri sacramentum, Alii dicunt, sacramentum evadere, cum vel novus ponitur consensus, vel antiquus renovatur et approbatur, aut verbis, aut nutibus, aut affectu maritali. Alii denique cum Vasquesio, disp. 2 de Matr., c. 10, n. 120 et sequentibus; Pontio, lib. 1 de Matr., cap. 9, n. 8, negant ejusmodi Matrimonium fieri sacramentum proprie dictum.

CONCLUSIO.

Nulla satis firma ratione probatur Matrimonium contractum inter infideles, accedente Baptismo, fieri sacramentum.

Probatur 1. Non fit sacramentum per solum Baptismum, sine novo consensu: tum quia Baptismus praecedere debet, cum sit janua sacramentorum; alias plura sacramenta iisdem infidelibus dari possent cum actu baptizantur: tum quia non est sacramentum sine materia et forma: sed ubi nullus supponitur novus accedere consensus, nulla quoque supponitur esse materia et forma sacramenti Matrimonii.

Neque obstat, si dixeris, tale Matrimonium ita ratum fieri per Baptismum, ut dissolvi amplius non possit, quod certe non aliunde habet, quam quod per Baptismum evadat verum sacramentum.

Namque aliud est matrimonium ratum fieri, et aliud fieri sacramentum. Per Baptismum quidem ita fit ratum, ut amplius non possit dissolvi; quia nempe cessat ratio, propter quam poterat dissolvi. Nempe dissolvi potest Matrimonium infidelium, quando unus conjux convertitur ad fidem, et alter non vult cohabitare eum ipso pacifice sine injuria Creatoris; cum igitur ambo ad fidem convertuntur et baptizantur, accedente Baptismo, cessat ratio haec, atque hoc sensu dicitur ratum fieri per Baptismum, quia firmiter evadit; at non propterea fit verum sacramentum.

Neque dicas eo in casu Matrimonium parisi esse conditionis, v. g., eum venditione, quae cum mutuo consensu confirmatur, rata est ac valida, qualis antea non erat. Namque venditio, aut quilibet alius contractus, non nisi per mutuum consensum valet; igitur ante illum vera non est venditio, sed simplex venditionis propositum: sed ante Baptismum verum erat inter infideles Matrimonium, ex se indissolubile quidem, licet major firmitas, et indissolubilitas ipsi accesserit ex Baptismo, cessante nimirum causa, propter quam dissolvi potuisset.

Secundo, Matrimonium inter infideles contractum per Baptismum non fit verum sacramentum, aut novo accedente consensu, aut usu ipso Matrimonii: siquidem contractus est materia hujus sacramenti,

cum actu fit; neque enim, ut diximus supra, Matrimonii sacramentum consistit in re fixa et permanente, sed in actione contrahentium, et actione ministri: at inter illos infideles contractus non initur post Baptismum, sed supponitur antea initus: neque sufficit, ut quis dicatur de novo contrahere, quod vel persistat in priori contractu, vel alia signa exhibeat, quibus prius conjugium confirmare videatur; sicut qui votum antea emisit, non censetur denuo illud emittere, quod velit illud implere et servare.

Praeterea, si Matrimonium illud evaderet sacramentum propter renovationem consensus, toties repeti posset sacramentum, ejusque gratia percipi, quoties consensus ille renovaretur: at istud videtur absurdum; ergo, etc.

Q U A E S T I O T E R T I A .

De materia, forma et ministro sacramenti Matrimonii.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia et forma sacramenti Matrimonii.

Materiam et formam in sacramentis distinguunt Theologi per analogiam ad materiam, et formam rerum physicarum. Distinguunt pariter duplicem in sacramentis materiam, unam remotam, alteram proximam: unam, quam vocant materiam *circa quam*; alteram vero, materiam *ex qua*, v. g. in Poenitentia materia *circa quam*, sunt peccata; materia vero *ex qua* constat sacramentum Poenitentiae sunt tres actus poenitentis, contritio, confessio et satisfactio.

Quaestio hic non movetur de materia *circa quam*, seu objectum vel subjectum sacramenti Matrimonii, sed de materia *ex qua*.

Nihil in praesenti negotio definitum habemus ab Ecclesia, unde tanta opinionum varietas et dissonantia, salva semper et integra sacramenti hujus veritate. «*In materia, et forma Matrimonii statuenda, inquit Melchior Canus, l. 8 de Locis theologicis, c. 5, adeo sunt inconstantes, et varii adeo incerti et ambigui (scholastici Theologi) ut*

ineptus futurus sit, qui in tanta varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere. Pro summa igitur, quae hic est, sentiendi libertate, propositis ac rejectis nonnullorum sententiis, quam verisimiliorem existimamus, sequamur, ac conclusione nostra propugnabimus.

Proponuntur ac reaijciuntur variae Scholasticorum opiniones.

Prima est Catharini, opusc. De Matrimonio quaest. 1, ubi docet verba et actus contrahentium esse materiam, formam vero esse verbum Dei santificans Matrimonium, cum dixit, Gen. 2, et Matth. 19: *Propter hoc relinquet homo patrem* etc., unde etiam infert, Deum esse ministrum hujus sacramenti, qui verbo suo semel sanctificavit, et quotidie illud sanctificat.

Verum confundere videtur auctor ille institutionem cum essentia Matrimonii: verbum quidem Dei, de quo, Genes. 2, recte ad institutionem Matrimonii refertur, non vero ad essentiam seu formam; essentia quippe sacramenti alicujus supponit ejus institutionem factam; quae institutio revocatur ad causam efficientem, non ad constituentem internam rei naturam. Praeterea quod addit de ministro, pugnat aperte cum recepta et communi doctrina, nempe ministrum sacramentorum esse hominem, minister siquidem alterius minister est, ac causam se superiorem supponit; cujus nomine, virtutem et auctoritate agat: at quis non videt ea in hominem non vero in Deum, posse cadere?

Secunda opinio putat consensum internum contrahentium esse materiam; verba autem sive signa exteriora, esse formam. Tribuitur Navarrae, Capreolo, etc.

Verum nec placet haec opinio. Namque tam materia, quam forma sacramenti debet esse sensibilis: consensus autem interior talis non est: deinde vero forma debet materiam ad tale esse determinare; clarius enim et expressius significat in se sacramentaria forma, quam materia: at verba seu signa exteriora nihil plus significant, quam ipsemet consensus; nec illum consensum ad effectum aliquem pro-

prium determinant, cum ex se fit determinatus ad unionem seu vinculum inter conjuges efficiendum.

Tertio, alii, ut major, asserunt consensum esse formam; verba autem experimentia, materiam.

At haec opinio eadem de causa rejicitur, ac secunda mox dicta.

Quarto, censent alii cum Richardo, verba unius conjugis esse materiam, et verba alterius esse formam: nimirum verba quae prius pronunciantur, esse materiam, quia inchoant Matrimonium; verba autem alterius conjugis, quae postea accedunt, esse formam, quia perficiunt.

At neque etiam arridet hic modus exponendi materiam et formam: tum quia si uterque contrahens simul verba proferat, quod certe fieri potest, nulla erit amplius distinctio materiae et formae: tum quia nulla sufficiens causa et ratio proferri potest, cur potius verba unius sint materia, quam verba alterius; siquidem tam posteriora verba determinantur per priora, quam priora per posteriora.

Quinto, sunt qui putant verba contrahentium sibi mutuo esse materiam et formam: in ipsis enim, ajuat considerari potest ratio expressionis acceptantis consensum; et quatenus sibi invicem sunt traditio et acceptatio, sibi quoque invicem sunt materia et forma: habet rationem materiae traditio, quia prior est secundum rationem, acceptatio vero, formae. Tribuitur haec opinio Dominico Soto, Suari, etc.

At in hoc maxime difficultatem patitur haec opinio: tum quia ratione dumtaxat, non re distinguere videatur materiam et formam, quas in sacramentis distinctas esse debere insinuat Eugenius IV in decreto Armenis dato, ubi ait: «*Sacramenta tribus perfici, materia, forma et intentione ministri.*» Re autem non distingui in praedicta opinione materiam, et formam, patet quia mutua traditio includit mutuam acceptationem; est quippe contractus qui dicitur, *do ut des*: tum quia falso supponit traditionem determinari ab acceptatione; namque mutuo a se determinant traditio et acceptatio: sicut in contractu venditionis, rei oblatio non complet contractum, nisi, accedente acceptatione, quae duo simul perficiunt contractum.

Sexto, putant alii, contrahentes esse materiam; verba autem, quibus suum mutuuum consensum exprimunt esse formam.

Verum confundit haec opinio subjectum sacramenti cum materia ex qua constat, de qua una hic loquimur. Contrahentes recipiunt quidem sacramentum, at non sunt ipsa materia, ex qua coalescit: deinde verba non videntur habere necessario formae rationem, ut putavit Scotus; nutibus enim aut aliis signis, sine ullis verbis, contractum Matrimonium validum est.

Septimo, censent ex recentioribus quam plures, traditionem et acceptationem mutuam corporum esse materiam; verba autem vel signa, quibus exprimitur mutuus consensus in traditione et acceptatione mutua corporum, esse formam.

Opinionem hanc rejicit Estius, in 4, dist. 26, §. 21 et 12, 1; quia forma sacramenti debet significare effectum sacramenti ut sacramentum est, non vero ut aliquid humanum, aut naturale, aut civile: atqui verba ista: *Accipio te in meam*, aut alia quaecumque verba aut signa, quibus exprimitur mutuus consensus in traditione vel acceptatione reciproca corporum non significant effectum sacramenti, neque omnino sacrum aliquid sed tantum conjugalem obligationem, quam significaret etiam, si non esset conjugium in sacramentum institutum; unde et communia sunt fidelibus, et infidelibus; 2. quia juxta sententiam hanc fatendum est carnalem copulam aliquando esse sacramenti formam, videlicet, ante Tridentinam Synod. vel etiam jam iis in locis, quibus non est receptum Synodi Decretum, nimirum quando, et ubi per subsequentem copulam sponsalia transibant, vel adhuc transeunt in Matrimonium; tunc enim copula signum est, sufficiens consensus ad Matrimonium requisiti: hoc autem, inquit Estius, non immerito refugiunt aures christianae; 3. quia juxta eandem sententiam, contrahentes sunt ministri sacramenti matrimonii: at patebit ex dicendis articulo sequenti, hujus sicut et aliorum sacramentorum ministrum esse sacerdotem, qui materiae a contrahentibus subministratae formam adhibet sacramenti.

Maldonatus, attente considerata illarum omnium opinionem difficultate, voluit non esse tam subtiliter quaerendam in sacramentis materiam et formam, ac novam ipse viam excogitavit, q. 1. de Matrimonio in solutione argumentorum tertiae classis, exponendi materiam, et formam sacramenti Matrimonii. Sic ille loquitur: *Ego respondeo,*

non esse tam subtiliter in sacramentis quaerendam materiam et formam. Nam si materiam, et formam propriam requiramus amittemus multa sacramenta: sed quia sacramentum est signum, non aliter in illo quaerenda materia, et forma, quam in ceteris signis. Omne autem signum ut minimum constat ex duabus rebus; altera, quae sensibus percipitur; altera, quae animo instillatur per rem illam externam. Prior vocatur semper materia, propterea quod est externa: secunda vocatur forma, quia forma essentialis solo animo percipitur. . . Eodem ergo modo in omni sacramento, quia signum est, debet esse aliqua res externa quae appelletur materia; et aliqua interior, quae solo animo percipiatur, et vocetur forma. Si istas duas res requiras in Matrimonio, facile est ostendere. Nam tota illa externa conjunctio, et societas viri, et uxoris, quae ab omnibus percipitur, est signum quoddam externum Christi, et Ecclesiae, ac propterea appellari debet materia: significatio autem ipsa, quae sola animo comprehenditur, est forma.» Ita Maldonatus.

Verum haec opinio duo patitur incommoda. Primum est, quod forma sacramenti perinde ac materia debeat esse sensibilis: at significatio, de qua loquitur Maldonatus, est mere spiritualis et in animo. Alterum est quod decretum Eugenii expresse asserat sacramenta novae legis tribus perfici, nempe *«rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et personu ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.»* Igitur quantum fieri potest, ad mentem hujusce decreti assignanda sunt verba in Matrimonio, quae habeant rationem formae: at in adducta Maldonati expositione nihil tale occurrit.

Itaque alii Theologi cum Estio in 4, dist. 26, §. 11 et 12, existimant materiam sacramenti Matrimonii esse actus contrahentium, formam vero esse verba sacerdotis, quibus conjuges in Matrimonium conjungit. Juxta hanc sententiam fit.

CONCLUSIO.

Materia sacramenti Matrimonii sunt actus contrahentium: forma vero, verba quibus sacerdos in Matrimonium conjungit.

Prima pars probatur 1. ex refutatione mox adducta aliarum opinionum.

Secundo, quia ratio materiae his actibus recte adscribitur, qui cum ex se indifferentes sint, et indeterminati, ut sint sacramentum, determinantur per verba sacerdotis, tamquam per formam, ad rationem et effectum sacramenti.

Tertio, «quia, inquit Estius in 4, dist. 26, §. 12, sicut in sacramento Poenitentiae materia, vel quasi materia, sunt actus poenitentis, qui velut informantur per absolutionem sacerdotis; ita recte dicitur actus contrahentium, quibus sibi mutuo, sive per verba, sive per alia signa dant fidem matrimonialem, esse hujus sacramenti materiam, vel quasi materiam, quae deinde informetur ad gratiae consecutionem, per ea verba sacerdotis in quibus consistit forma sacramenti. Sicut enim Deus actus poenitentis erexit in sacramentum novae legis, addita absolutione sacerdotis ut forma, ita valde convenienter dicitur quod actus contrahentium erexit in sacramentum novae legis, addita benedictione sacerdotis ut forma.» Ita Estius.

Quarto, quia haec videtur esse S. Thomae sententia, in 4, dist. 26, art. 1, ad 2: «Sacramentum Matrimonii, inquit, perficitur per actum ejus, qui sacramento illo utitur, sicut Poenitentia. Et ideo sicut Poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de Matrimonio.» Quae verba repetit auctor Supplementi ad 3 p. Summae S. Thomae, q. 42, art. 1, ad 2. Rationem hujus doctrinae, ac veluti principium adducit S. Thom., 5 p., q. 84, art. 1, ad 1. «In illis sacramentis, inquit, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiae, ut accidit in Poenitentia et Matrimonio.»

Secunda pars probatur. Tum quia in illis verbis reponenda videtur forma hujus sacramenti, quae determinant actus contrahen-

tium ad esse sacramentale: et primum ipsius effectum exprimunt: atqui talia sunt verba, quibus sacerdos conjungit contrahentes in Matrimonium eisque benedicit, hoc est coelestem benedictionem et gratiam invocat, et confert tamquam sacramenti minister. Tum quia haec sententia longe magis videtur accedere et ad mentem veterum, qui Matrimonium benedictione sacerdotis confirmari et obsignari testantur, et ad verba Concil. Trid., sess. 24, c. 1 de reformatione Matrimonii, quae articulo sequenti referemus: pendet enim maxime praesens controversia ex iis, quae circa ministrum sacramenti Matrimonii dicturi mox sumus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ministro sacramenti.

In duas omnino sententias schola diviso est circa praesens argumentum.

Prima, quae veterum est ac multorum e recentioribus, existimant contrahentes esse ministros hujus sacramenti, quorum quilibet sibi, vel alter alteri sacramentum administrat, vir nempe mulieri et mulier viro, utroque enim modo rem explicant.

Secunda vero sententia assignat pro ministro Matrimonii sacerdotem. Hanc tuerentur Guillelmus Parisiensis, quem in Concilio Tridentino sequutus est unus ex primariis Sorbonae doctoribus, teste Pallavicino, l. 25, Hist. Concil. Trid., c. 9, n. 15; Melchior Canus, l. 8, de locis theologicis, c. 5; Toletus, l. 7, Sacerdotalis instructionis, c. 6. Petrus Ledesma, de Matrimonio, q. 42, art. 1, dubio 4, concl. 4; illustrissimus Petrus de q. 1, p. 441, ad sextum argumentum secundae sententiae; Estius in 4, dist. 26, §. 10; Sylvius in Supplementum 3 partis S. Thom., qu. 42, art. 1, questio 1 et in 22, qu. 10, art. 2, in responsione ad sextum. Sententiam hanc temeritatis incusant Vasquez, Pontius, et ante illos Dominicus Soto; ab hac tamen nota purgatur ab aliis theologis, imprimis Dominico Bannesio in 4 partem S. Thomae, quaest. 1, art. 8, ubi ait: «*Sententiam communem modo a*

multis improbari, non solum post celebrationem Concilii Tridentini, sed etiam antea; et eam sententiam multos alios sequi absque ulla temeritate. Quod enim uno tempore occultatur, postea, inquit, per diligentiam, et studium advenientium multoties innotescit.»

Depositis itaque praejudiciis, quae ex auctoritate et numero scholasticorum theologorum primae sententiae faventium, vulgo habentur, quaestionem in seipsa nudam expendemus, libratis ac ponderatis quae utrinque proferuntur rationis momentis; ut haec facta comparatione intelligatur, quae verisimilior ac probabilior sit opinio; neque enim probabilitatis metas excedit quidquid hic ex utraque parte adducitur, cum nulla extet eam in rem Ecclesiae definitio. Itaque sit

CONCLUSIO.

Sententia, quae assignat sacerdotem pro ministro sacramenti Matrimonii vero magis accedere, ac probabilior nobis videtur.

Hanc opinionem multis momentis confirmant locis mox indicatis Melchior Canus, Estius et Sylvius.

Primo quia ille videtur esse minister sacramenti Matrimonii, qui est minister benedictionis omnino essentialis ac necessariae ad obtinendam gratiam hujus sacramenti; atqui talis est Episcopus, vel sacerdos: ergo, etc.

Minor duplicem habet partem: 1. Episcopum vel sacerdotem esse ministrum benedictionis conjugalis; 2. benedictionem illam omnino necessariam esse et essentialem ad obtinendam sacramenti gratiam; hanc vero postremam partem, quam negant qui hic nobis adversantur theologi, demonstrare videntur ea omnia veterum testimonia, quae jam supra laudavimus ad quaestionem hujus Tractatus secundam, ubi ex constanti ac perpetua traditione ostendebamus, Matrimonium esse verum novae legis sacramentum; argumentum vero ducebamus ex illa sacra et solempni benedictione, quam veteres exigunt ut nuptiae sanctae sint, ac effectum spirituales gratiae referant. Consule. Hinc in jure canonico apud Gratian. causa 30, qu. 5, cap.

Nullus, dicitur : « Nullus fidelis cujuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat sed benedictione accepta a sacerdote, publice nubat in Domino. »

Respondent adversae partis theologi, benedictionem quidem illam, de qua veteres, necessariam esse usu et praecepto Ecclesiae ad majorem nuptiarum solemnitatem ; non vero essentialem jure ac praecepto divino ad constituendum sacramentum Matrimonii, et effectum gratiae consequendum, quasi sine illa Matrimonium nec foret sacramentum, nec ullum gratiae fructum conjuges inde perciperent : idque efficere nituntur nonnullis argumentis, quae referemus inter objectiones mox solvendas.

Verum haec responsio non videtur aliis sufficiens : 1. quia non satis accomodata videtur verbis Ss. Patrum, qui asserunt per benedictionem illas nuptias sanctificari, conciliari, obsignari, licitas fieri ; ita ut defectu ipsius non careant suspicione fornicariae aut adulterae conjunctionis : quae certe loquendi ratio designat ritum non pure accidentalem, sed omnino essentialem ac necessarium ; 2. quia propter ejusmodi benedictionem volunt Patres Concilii Carthag. IV, ut conjuges eadem nocte in virginitate permaneant : ac propter ritum pure accidentalem et caeremonialem id certe non postulassent Patres Carthaginenses ; 3. quia responsio haec infirmit praecipuum quod ex traditione habemus, argumentum, ut demonstremus adversus haereticos, Matrimonium esse verum sacramentum. Quippe si benedictio illa est dumtaxat accidentalis et caeremonialis, non pars sacramenti, quae vim habeat ex se conferendi gratiam, vix poteris Novatoribus ostendere Matrimonium apud veteres Ecclesiae doctores pro vero haberi sacramento, cui sit annexa gratiae promissio ; non alio enim argumento id melius efficitur, quam ex benedictione illa sacra toties apud illos commendata. Quapropter non immerito observat Canus, sententiam quam Conclusionem nostram defendimus, longe aptiorem et commodiorem esse refellendis haereticis. Addit, non alia magis ratione ductum fuisse magistrum, ut putaret Matrimonio vim non inesse ad conferendam gratiam, quam ex communi tunc temporis sententia, quae contrahentes hujus sacramenti ministros esse statuit : cum enim nihil in eo ministerio deprehenderet, quod ecclesiasticum ritum ac

caeremoniam referret, pronum ipsi fuit ut conjiceret, praeter nudam et simplicem significationem quam habet unionis Christi cum Ecclesia nihil amplius inesse, unde gratiam, sicut cetera sacramenta, posset conjugibus conferre.

Secundo: ille veru dici debet minister sacramenti Matrimonii, qui vere contrahentes conjungit in Matrimonium: atqui talis est sacerdos: ergo, etc.

Minor probatur auctoritate Concilii Trid. et aliorum nonnullorum Conciliorum particularium, quibus accedunt quamplures Ecclesiarum rituales libri.

Concil. Trid., sess. 24, de reform. Matrim., cap. 1: *«Ad celebrationem, inquit, Matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; vel altis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum.»* Si data opera voluisset synodus innuere sacerdotem esse ministrum sacramenti Matrimonii, et verba, quibus contrahentes conjungit, esse formam, aut quasi formam, non potuisset verbis uti significatioribus. Eodem capite statuit Concilium, benedictionem sacerdotalem a proprio parochus, vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alio sacerdoti concedi posse: *«Ita, inquit, quod si quis parochus vel alius sacerdos alterius parochiae sponso sine illorum parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure suspensus maneat.»*

Eamdem sententiam paullo ante Concil. Trid., amplexi sunt Patres Concilii Coloniensis, an. 1536, p. 7, c. 40, quorum haec verba sunt: *«Quod sacramentum (Matrimonii) si quis, sicut decet, acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligit uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.»* Audis ista verba accedente sacerdotali precatione, quae certe manifeste demonstrant, mentem hujus synodi hanc esse, sacerdotalem precationem, seu verba quibus in celebrando Matrimonio utitur sacerdos, esse formam hujus sacramenti, qua posita confert donum Spiritus Sancti. Et in Enchiridio, quod jussu ejusdem Concilii editum est, capit. penultimo de Matrimonio dicitur: *«Quanto magis, putandum est, et in nova*

lege sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus sacramenti ministros esse.»

Post Concilium Tridentinum confirmata fuit eadem sententia in pluribus Conciliis provincialibus.

In Cameracensi, quod refert Ighius, an. 1565, c. 1: «*Cum constet, inquit, in Matrimonio habendam esse rationem non solum divinae constitutionis, sed etiam sacramenti et gratiae, quam in illo consequuntur fideles, admonendos esse duximus parochos hujus ministros, etc.»*

In Rhemensi, an. 1583: «*Nuptiis, inquit, rite completis ita se componant conjuges, ut putent se non a sacerdote, sed per eum a Christo conjugiorum praesule conjunctos.»*

In Turonensi, an. 1583, eadem forma celebrandi Matrimonii praescribitur, quae in Tridentino.

In Aquensi, an. 1585; Mexicano ejusdem anni. Rothomagensi, an. 1581; Avenioniensi, an. 1594; Mechiliniensi, an. 1607, eadem pariter forma legitur praescripta.

His adde Ritualia, Romanum vetus, an. 1494, collectum per Albertum Castellanicum Dominicanum, ait, «*Contrahentibus respondentibus se nec affines, nec consanguineos, etc. Sacerdos pronunciet verba quae sunt formae hujus sacramenti.»* Alterum Romanum jussu Pauli V editum in praefatione inter sacramenta quorum administrationem ait pertinere ad parochos, recenset Matrimonium. Et in omnibus editis ab an. 1598 Ritualibus Romanis haec verba a sacerdote proferenda notantur: «*Ego vos conjungo, etc.»* qui ritus in omnibus fere particularium Ecclesiarum ritualibus libris praescriptis quoque legitur. Unde in Manuali Atrebatensi, an. 1600 dicitur: «*Sponsus et sponsa debent fieri conjuges dicendo: Ego vos conjungo.»* Manuale vero Ipreense, an. 1576 et Mechliniense an. 1589, jubet ut sacerdos tamquam Ecclesiae minister dicat: «*Vos in Matrimonium conjungo.»* In Rituali Mediolanensi, praescribente S. Carolo Borromeo, Actorum p. 4, dicitur: «*Quinque dumtaxat esse sacramenta, quae parochus ex officio administrare potest, Baptismum, Eucharistiam, Poenitentiam, Matrimonium et Extremam Unctionem.»* Plura in rem eandem brevitate causa hic missa facimus. Vide P. Martene de antiquis Ecclesiae ritibus, tom. 2, p. 2, l. 1, c. 9, ubi laudat in rem eandem, p. 659.

Ordo 12.º vetus Rituale Lemoviense, p. 643. *Ordo 13.º* Rituale Remense, p. 645. *Ordo 14.º* Rituale Leodicense, p. 648. *Ordo 15.º* Ambrosianum jussu Caesaris Monti cardinalis et archiepiscopi Mediolan. edictum.

Huic secundo argumento quo premi se non dissimulant adversarii, respondent: 1. verba ista, «*Ego vos conjungo,*» non ad formam, sed ad solemnitatem dumtaxat sacramenti pertinere, alias non permetteret Concil. Trid. eo pro vario Ecclesiarum usu immutari: forma quippe sacramenti debet esse constans et firma; 2. eorum verborum sensum hunc esse. Ego tamquam testis neccessarius declaro vos conjunctos, seu confirmo, et ratam habeo conjunctionem vestram; 3. ajunt sacerdotem ministrum aliquando ab auctoribus ecclesiasticis hic appellari, sive quia praesentia sua firmitatem dat contractui conjugali, qui alias foret irritus; sive quia administrat caeremonias, et ritus solemnes ab Ecclesia praescriptos; sive denique quia cum Matrimonium sit sacramentum, pertinet ad sacerdotes in eo suscipiendõ dirigere fideles, atque dignos ad illud admittere, indignos vere arce-re. Ita respondebat anonymus quidam Neotericus, in Tractatu speciali quem de ministro sacramenti Matrimonii edidit an. 1625, quem citat ac refellit Sylvius in secundam secundae S. Thomae, q. 100, art. 2 in responsione ad 6.

Verum responsionem hanc distortam paullo esse ac coactam non immerito advertunt, qui nostrae Conclusioni suffragantur, theologi 1 quidem gratis omnino fingitur verba ista: «*Ego vos conjungo,*» ad solemnitatem dumtaxat, non ad formam sacramenti pertinere. Neque urget in contrarium adducta probatio: constans quippe ac firma debet esse sacramenti forma quoad sensum et significationem, licet quoad sonum verborum et modum loquendi varia sit; quomodo permittit Synodus Tridentina, ut sacerdotes pro vario ecclesiarum usu his verbis: «*Ego vos conjungo,*» vel similibus utantur, quibus significant se vere sacramentum Matrimonii conferre; quomodo etiam nonnihil discrepat forma Baptismi et Confirmationis inter Latinos et Graecos, quamquam eadem sit quoad sensum et significationem essentialem verborum. Huic formulae: «*Ego vos conjungo,*» hunc affingere sensum, «*Declaro vos conjunctos*» videtur manifestus verborum

abusus. Tum quia verba usurpanda sunt in propria et nativa eorum significatione, quando nihil est aut absurdum contra rationem, aut falsum contra fidem, aut contra mores! at nihil tale occurrit in praesenti negotio, ut satis per se notum est. Porro nullus dixerit verborum istorum: «*Ego vos conjungo* ;» naturalem et obvium sensum hunc esse: «*Ego declaro vos conjunctos* :» non est igitur cur ab illa naturali significatione ad alienam verba illa transferamus. Tum quia pessimi exempli est Novatoribus nostris talis illorum verborum interpretatio: quo enim jure dicunt e nostris multi, verba ista sic esse intelligenda: «*Ego vos conjunctos declaro* ;» ita dicent Novatores verba ista sacramentalis absolutionis. «*Ego te absolvo*» non aliud significare, quam, «*Ego declaro te a Deo absolutum*.» Tum quia si sacerdos esset merus testis quamquam necessarius, improprie admodum diceret: «*Ego vos conjungo* ;» siquidem et alii qui adsunt testes, dicere pariter non possunt: «*Ego, vel, Nos vos jungimus*.» Quid ita? quia nempe solus ille verba haec merito et proprie proferre potest, qui vere tamquam Ecclesiae minister conjugibus bene precatur, eosque in Matrimonium conjungit; at id facit solus sacerdos, non alii, qui adsunt testes.

Neque idem idcirco sacerdos minister dici potest, ut placet adversariis: 1. quod Matrimonio sua praesentia firmitatem conferat: ipsi etenim testes, quorum praesentia plane necessaria est, firmitatem quoque dant conjugio, neque tamen proprie dicuntur et sunt ministri. Neque 2. quod ritus et caeremonias administret: namque parochus, v. g., qui infanti jam domi baptizato sollemnes caeremonias Baptismi administrat, proprie loquendo non dicitur ipsi Baptismi sacramentum conferre seu administrare. Neque 3. quod fideles instruant qua ratione digne possint sacramentum istud percipere: aliud enim est fideles instruere et dirigere ad dignam sacramenti alicujus perceptionem, et aliud iisdem sacramentum administrare. Parochus, v. g., tenetur suos adhortari, et dirigere ad percipiendum sancte, ut oportet, sacramentum Confirmationis, tenentur indignos arcere, etc., an idcirco dici potest minister Confirmationis? Quis non rideat? Infirmiae igitur et contortae videntur responsiones adversariorum ad hoc secundum argumentum.

Tertio sic arguit Estius, in 4, dist. 26, §. 10. « *Concilium Florentinum declarat omnia sacramenta tribus perfici, quorum tertium est persona ministri conferentis sacramentum. Intelligit autem ministrum Ecclesiae, quia addit, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Nam quomodo facit Ecclesia, quod numquam facit nec facere potest minister Ecclesiae? Unde ex istis posterioribus verbis sit, inquit Estius, tale argumentum: Omne sacramentum sic institutum est, ut illud facere debeat Ecclesia, (per suos scilicet ministros) nisi ob necessitatem, ut in Baptismo, alius faciat supplens vicem ministri Ecclesiae, qui tamen etiam debet habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia: ergo etiam sacramentum Matrimonii sic institutum est, ut debeat fieri per ministrum Ecclesiae. »*

Confirmatur 1. Quia eadem esse debet conditio Matrimonii, ac aliorum sacramentorum novae legis, quorum quodlibet sacrum habet ministrum Ecclesiae. 2. Quia contrahentes ut plurimum non habent intentionem conferendi, sed accipiendi dumtaxat sacramentum Matrimonii: neque enim legimus eos admoneri in libris ritualibus, aut pastoribus, ut habeant intentionem illam tamquam ministri hujus sacramenti. 3. Quia sicut in Poenitentia recte distinguitur virtus a sacramento, ita in Matrimonio contractus humanus a sacramento: et quemadmodum sacerdos est minister poenitentiae quatenus est sacramentum; ita et Matrimonii quatenus sacramentum est, causa conficiens seu minister est ipse sacerdos; quatenus est contractus humanus, contrahentes sunt ipsius causa. 4. Quia juxta Concil. Flor. omnia sacramenta tribus perficiuntur rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et intentione ministri: atqui si verba, quibus sacerdos conjungit in Matrimonium, non sunt essentialia, neque habent rationem formae, nulla possunt assignari ex parte contrahentium quae sint essentialia; certum est etenim Matrimonium sine verbis, solis nutibus aut aliis exterioribus signis contractum validum esse. 5. Denique, quia eorum sacramentorum quae in actione consistunt, minister distinguitur a suscipiente, nullus enim sibi ipsi potest sacramentum conferre, seipsum, v. g., baptizare, absolvere, etc., at contrahentes recipiunt sacramentum Matrimonii; ergo non sunt illius ministri.

Ad hoc argumentum respondent alii, contrahentes ex ipsa Christi

institutione supplere vices ministri Ecclesiae in Matrimonio, atque sibi invicem administrare sacramentum istud, et quidem cum legitima intentione, utpote qui velint inire nuptias, quales Christus in nova lege jussit iniri a christianis, hoc est, quatenus sunt verum sacramentum. Respondent praeterea, verba non esse ossentialia, sed satis esse si adsint aliqua exteriora signa.

Verum Estius reponit 1. in solo Baptismo, propter summam ejus necessitatem fieri, ut alius vices suppleat ministri Ecclesiae. « *Et si hic esset supplementum, inquit, sequeretur quod multo magis minister Ecclesiae, cujus vicem contrahentes suppleat, id facere posset, quia magis potest rem unamquamque primarius administer, quam vicarius.* » 2. Vel quilibet contrahens sibi, vel unus alteri vicissim sacramentum administrat: at primum ex mox dictis repugnat, nullus enim sibi ipsi administrat sacramentum quod in actione positum est: alterum verum difficile conciliatur cum ipsamet adversariorum sententia: cum enim ambo contrahentes sint ministri, simul constituunt unum totalem ministrum, siquidem neuter potest sine altero, ex mutuo enim amborum consensu resultat vinculum Matrimonii; exponi igitur vix potest, an prius vir mulieri, an viro mulier sacramentum conferant, an simul et eodem instanti sibi invicem: quibus certe implicatis modis locus non datur, in ea, quam tuemur, opinione; tunc enim perfectum censetur Matrimonium, cum sacerdos, audito mutuo contrahentium consensu, verba ista aut similia profert: « *Ego vos conjungo, etc.* »

Omittimus hic argumentum petitum ex auctoritate multorum theologorum, qui nostrae Conclusioni suffragantur; si enim ex auctoritate, et numero scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie opposita sententia. Quae vero fuerit S. Thomae mens atque sententia circa praesens argumentum, non videtur satis exploratum: scribens enim in libros Sententiarum, docet contrahentes esse dumtaxat aliquid sacramentale, non partem sacramenti essentialem; aliis tamen in locis certa quaedam statuit principia, ex quibus colligi posset eum, mutata subinde sententia existimasse sacerdotem esse ministrum sacramenti Matrimonii. L. 4, contra Gentes, c. 75, ait: « *Ea in quibus gratia illuminans confertur, exhiberi solum posse a sacerdotibus;* » et c. 18, sic loquitur: « *Matrimonium, in quantum ordinatur ad bonum*

Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico: ea autem quae populo per ministros Ecclesiae dispensantur, sacramenta dicuntur *Matrimonium igitur est Ecclesiae sacramentum: unde et quaedam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiae adhibetur;* et 4 p., q. 83, art. 3, ad 8: « *Dispensatio sacramentum, inquit, pertinet ad ministros Ecclesiae;* » et 2, 2, q. 100, art. 2, ad 6, docet « *secundum jura prohiberi, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur; quia Matrimonium est Ecclesiae sacramentum.* » Denique in Supplemento, q. 22, art. 1: « *Sacramenta, inquit, in quibus gratia confertur, dispensare, ad solos sacerdotes pertinet;* » et q. 31, art. 1 « *Nullius sacramenti dispensatio laicis ex officio competit;* » et q. 59, art. 2, 1 ait, « *Matrimonium secundum quod est sacramentum consistens in dispensatione ministrorum Ecclesiae, non competere infidelibus.* » Ex his omnibus S. Doctoris testimoniis conjecit Sylvius futurum, ut si ultimam manum suae summae apposuisset S. Thomas, agniturus fuisset sacerdotem esse ministrum sacramenti Matrimonii; sed haec conjectura est, non certa et evidens probatio.

Superest ut jam exponamus et solvamus adversae partis objectiones.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Eugenius IV, S. P. in decreto seu Instructione Armenis data loquens de Matrimonio, ait: « *Caussam efficientem regulariter esse mutuum consensum per verba de praesenti;* » caussa vero efficiens et minister hic unum et idem sunt: porro consensus ille a contrahentibus declaratur; contrahentes igitur sunt caussae efficientes seu ministri Matrimonii, non tantum quatenus est humanus contractus, sed quatenus est verum sacramentum de quo potissimum Armenos informat S. Pontifex, cum Matrimonium recenset inter septem legis novae sacramenta.

Sunt, qui paullo liberius de hocce Eugenii decreto sentientes, respondent nullam per illud theologis legem ac necessitatem imponi subscribendi iis omnibus, quae circa materiam et formam sacramentorum Armenis exponit, v. g., circa materiam et formam Confirmationis, Ordinis, etc., in quibus certe et aliis nonnullis capitibus, a

doctrina hujusce Instructionis recedere religioni non ducunt quamplures theologi. Verum hac missa responsione:

Resp. hoc certum et exploratum esse debere, noluisse scilicet hoc in decreto S. Pontificem assignare quae sit materia quae forma, quive minister sacramenti Matrimonii. Cum enim aliorum sacramentorum materiam et formam et ministrum distincte assignasset his verbis: « *Materiam hujus sacramenti, etc.* » de Matrimonio nihil tale dixit quod nempe intelligeret, rem inter teologos adeo controversam in suspenso esse relinquendam. Cum igitur citatis verbis ait causam efficientem Matrimonii esse mutuum consensum, ait de vinculo Matrimonii, (abstracto a ratione sacramenti) quod omnino esse indissolubile affirmat et cujus efficientem causam non immerito assignat mutuum consensum; ex illo enim, ut diximus supra, resultat nexus seu vinculum illud, in quo consistit essentia Matrimonii, quatenus humanus est contractus. Ita Eugenii verba interpretatur Catechismus Concilii Tridentini, p. 2 de Matrimonio, n. 6: « *Cum dicunt, inquit, conjugium esse consensum maris et feminae, hoc ita accipiendum est, consensum ipsum Matrimonii causam effectricem esse; quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio et nexus oriri non potest nisi ex consensu et pactione.* »

Neque urget, quod additur, loqui scilicet Eugenium de septem novae legis sacramentis, inter quae Matrimonium recenset. Id quidem fatemur ultro; at satis fuit S. Pontifici, Armenos docuisse Matrimonium esse septimum novae legis sacramentum: quae vero addit, de causa ejus efficiente, non spectant Matrimonium quatenus sacramentum, sed quatenus est contractus humanus, ex quo resultat nexus et vinculum indissolubile. Id ita esse ostendit mutata loquendi ratio, qua uti solet Eugenius in aliis sacramentis, statim enim ac dixit, v. g. « *Primum omnium sacramentorum est Baptismus,* » addit: « *Hujus sacramenti materia, etc.* » At in praesenti argumento mutat consuetam loquendi rationem et implicite ait: « *Causa efficiens Matrimonii, etc.* » non, ait, « *hujus sacramenti:* » ne scilicet, quod jam observavimus, rem figeret in scholis hinc et inde agitatam.

Objicies 2. Concilium Trid., sess. 24, c. 1 de reformatione, docet Matrimonia clandestina rata et vera fuisse, quamdiu ecclesia ea irrita

non fecit, quamquam ea semper prohibuerit ac detestata fuerit; atqui Matrimonia hujusmodi et sine testibus, et sine proclamationibus, et maxime sine ministerio sacerdotis, adeoque sine benedictione ecclesiastica perficiebantur; igitur verum est ac ratum essentialiter Matrimonium sine ministerio sacerdotis et benedictione Ecclesiae.

Resp. dist. maj. Concilium Trid. docet Matrimonia clandestina rata et vera fuisse quoad foedus, ac vinculum perpetuum et civilem contractum antequam Ecclesia ea irrita fecisset, concedo: rata et vera fuisse quoad rationem et virtutem sacramenti, nego. Concessa minore, distingo pariter consequens; ergo verum est ac ratum essentialiter Matrimonium, quoad foedus, vinculum perpetuum, et civilem contractum, sine ministerio sacerdotis et benedictione Ecclesiae, concedo: quoad rationem et virtutem sacramenti, nego. Itaque Concil. Trid. loco citato firmitatem ac vinculum Matrimonii potius spectat, quam sacramenti dignitatem; ac docet Matrimonium clandestinum, quamdiu Ecclesia illud irritum non fecit, ratum, verum et indissolubile esse ratione contractus, an vero tale Matrimonium fuerit sacramentum minime statuit Concilium, attestante ipsomet Concilii historico Pallavicino, l. 23, c. 9, n. 13: « *Numquam. inquit, declaravit Concilium clandestina Matrimonia fuisse sacramenta, adeo ut graves theologi id negent.* » Quod vero Synodus citato in loco validitatem seu firmitatem Matrimonii magis spectet, quam dignitatem sacramenti, patet ex eo quod declaret valuisse pro praeterito clandestina Matrimonia, imposterum vero irrita et nulla fore: posse vero separari in Matrimonio rationem contractus a ratione sacramenti, ita ut sit verum et ratum Matrimonium, quod tamen careat dignitate et virtute seu efficacia veri sacramenti, antea probavimus.

Nonnulli ex verbis ipsius Concilii conantur efficere, Matrimonia clandestina non fuisse vera sacramenta, eo quod loco citato Concilium declaret Ecclesiam semper ea prohibuisse, ac detestatam fuisse: porro inquirunt, si tale Matrimonium verum fuisset sacramentum, quomodo Ecclesia illud detestata fuisset? At, nostro quidem iudicio, infirma videtur haec probatio: non immerito quippe reponent adversarii, Ecclesiam detestatam fuisse in Matrimonio clandestino, non sacramentum ipsum, sed ejus abusum, ac neglectas in eo celebrando

Ecclesiae leges; quomodo detestatur indignam et sacrilegam Eucharistiae perceptionem, salva semper et integra remanente tum sacramenti substantia, tum ea, quae ipsi debetur, reverentia.

Instabis 1. Concil. Trid. agit de Matrimonio quatenus sacramentum est, Canone siquidem 1, sess. 24, «*definit illud esse sacramentum;*» et can. 12 «*damnat eos, qui docent causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos.*» Ergo cum declarat Matrimonia clandestina rata et vera fuisse, antequam ab Ecclesia irrita fierent, ea rata declarat in ratione sacramenti; neque enim sub alia ratione Matrimonium considerat Ecclesia; quae enim spectant contractum civilem, et ex eo consequentes civiles ac politicos effectus, non Ecclesiae, sed magistratum civilium jurisdictioni subjiuntur. Cum igitur Ecclesia semper iudicaverit de Matrimonio clandestino, iis etiam temporibus, quibus irritum non erat, sequitur, Matrimonium huiusmodi tunc fuisse sacramentum, et consequenter Concil. Trid. declarando Matrimonia clandestina rata et vera fuisse, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit, supponit ea rata fuisse, non tantum in ratione contractus civilis, de quo illa non iudicat, sed maxime in ratione sacramenti.

Resp. Canone 1. citato, revera Concilium agere de Matrimonio quatenus sacramentum est, cujus dignitatem adstruit adversus Novatores: at in capite laudato generatim loquitur de Matrimonio, neque quidquam asserit, unde certo possit inferri Matrimonia clandestina vera fuisse sacramenta. Et certe quod statuit Canone illo primo, omnium orthodoxorum consensu ad fidem pertinet: quis vero dixerit fidei nostrae caput esse matrimonia clandestina fuisse vera sacramenta ante Decretum Tridentinum, quo irrita et nulla imposterum declarantur? nemo certe. Quae igitur docet Synodus Canone illo primo, transferri non debent ad ea quae declarat, capite primo citato, in quo quae dicit de Matrimonio clandestino vero et rato ante prohibitionem Ecclesiae, intelligi merito possunt de Matrimonio rato quoad foedus, vinculum et contractum civilem, non vero quoad dignitatem et virtutem sacramenti. Neque hinc recte inferitur, Ecclesiam leges tulisse circa civilem contractum Matrimonii. Non ita est: sed inferri dumtaxat debet, Matrimonium clandestinum irritum non fuisse, quam-

diu illud irritum non fecit Ecclesia, sive fuerit sacramentum, sive non, quem nodum non solvit Synodus Tridentina.

Canone vero 12 merito damnat eos, qui negant causas matrimoniales pertinere ad iudices ecclesiasticos, sive re ipsa Matrimonium contractum fuerit verum sacramentum, sive non fuerit; quia nempe tenentur omnes christiani eo ritu celebrare nuptias, qui necessarius est, ut ipsi accedat dignitas sacramenti, voluit enim Christus Matrimonium christianorum esse sacramentum; atque in iudicium vocare jure potest Ecclesia eos omnes ex suis, qui non eo debito ritu Matrimonium contrahunt: sicque judicavit de Matrimoniis clandestinis, non quod essent vera sacramenta, sed quod esse debuissent; atque censurae suae eos subiecit, qui, spretis Christi et Ecclesiae suae legibus, aliter nuptias contraxissent quam ferat Christi et Ecclesiae constitutio.

Instabis 2. sequitur ex nostra sententia, eos omnes fideles, qui clam Matrimonium contraxerunt sine praesentia et benedictione sacerdotis ante Concilium Tridentinum, caruisse et sacramento Matrimonii, et ejus effectu: at id durum videtur, forte temerarium.

Resp. si quid in eo durum sit totum esse refundendum in eos, qui contra Ecclesiae legem, ac disciplinam, nuptias celebrant clam et in abscondito sine praesentia et benedictione sacerdotis; eos enim peccasse dubitari non potest. Quamquam igitur daremus Matrimonium ab illis sic initum verum fuisse sacramentum, gratia tamen sacramentali privatos illos fuisse, fateri debent adversarii, propter obicem, quem ponebant: imo et novo sacrilegii peccato eos se inquinasse cum indigne sacramentum perciperent: quo novo sacrilegii peccato videntur liberari in ea, quam hic propugnamus, sententia, siquidem Matrimonium sic clam ab illis contractum non erat verum sacramentum: ergo quamquam grave foret eorum peccatum, ob neglectas Christi et Ecclesiae leges, saltem carebat ea gravitate, quae propria est sacrilegii.

Instabis 3. Non alia de causa Matrimonium clandestinum ante Decretum Concilii Tridentini ratum erat, ac firmum et perpetuum ejus vinculum, quam quod verum esset sacramentum.

Resp. Nego ant. Matrimonium enim inter infideles firmum est, et indissolubile ex se, quod tamen non est verum sacramentum: quam-

quam, ut antea dictum fuit, per Baptismum major accedit Matrimonio firmitas, eo quod cesset causa propter quam dissolvi potest inter infideles, si nempe eorum unus ad fidem convertatur, nec velit aliter cum eo pacifice et sine injuria Creatoris habitare; intra fideles vero consummatum Matrimonium sola morte potest dissolvi.

Objicies 3. benedictio sacerdotis, et verba, quibus contrahentes conjungit in Matrimonium, non pertinent ad essentiam, sed ad solemnitatem dumtaxat sacramenti Matrimonii.

Antecedens probant adversarii

I. Quia de illa benedictione idem non asseruit Concilium Tridentinum t. 4. sess. 24. Quod de praesentia parochi et testium, nempe nullum et irritum esse Matrimonium defectu hujus benedictionis, sicut declarat nullum esse defectu praesentiae parochi et testium; ergo videtur Concilium in ea esse mente, talem benedictionem non esse essentialem.

2. Secundae et posteriores nuptiae tali benedictione carent. Ita statutum legimus, can. 7 Concilii Neocaesariensis, et c. 4 Concilii Lateranensis sub Alexandro III, titulo *de secundis nuptiis*. Porro secundae nuptiae veram habent sacramenti rationem; est igitur verum essentialiter sacramentum Matrimonii sine benedictione sacerdotis.

3. Alexander III, p. 6 Appendicis Concilii III Lateran., c. 8, declarat ratum esse Matrim. sine benedictione, imo et sine praesentia parochi, modo adsit ejus notarius, qui certe meri testis, non ministri personam substinere potest. Sic enim respondet S. Pontifex Episcopo Salernitano, a quo consultus fuerat: *«Consuluisti nos, inquit, utrum inter virum et mulierem, praestito vel non praestito sacramento, si legitimus consensus intervenerit de praesenti, carnali copula fuerit non secuta, liceat mulieri alii nubere, vel si nupserit alii, et carnalis copula fuerit secuta, an ab ipso debeat separari. Super hoc inquisitioni tuae taliter respondemus: Quod si legitimus consensus ea solemnitate qua fieri solet, praesente sacerdote, aut etiam ejus notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc observatur, coram idoneis testibus interveniat de praesenti ... non liceat mulieri alii nubere.»* Haec Alexander III, ex quibus duo videntur manifesta. Primum loqui S. Pontificem de Matrimonio prout sacramentum est: siquidem exigit, ut ordinaria solemnitate celebretur coram

sacerdote, vel ejus notario. Secundum, non existimasse S. Pontificem, sacerdotem esse absolute necessarium, alias quomodo permisisset vices sacerdotis demandari ejus notario, viro certe laico, qui ecclesiasticam benedictionem dispensare profecto non potest? Et quomodo ratum habuisset Matrimonium coram tali notario celebratum, nisi persuasum habuisset et sacerdotem et notarium non alias hic partes implere, quam meri testis, quamquam necessarii?

4. Verum ac ratum est Matrimonium praesente quidem parochio, sed benedictionem connubialem recusante, contractum, ab illis nempe, qui coram illo et testibus in facie Ecclesiae declarant, ac contestantur, quod sese mutuo fidem obligent, quod Matrimonii genus vulgo dicitur gallice *a la gaulmine*, quod a viro hujus nominis ita celebratum sit apud nos. Rata vero ac firma esse hujusmodi conjugia, multis supremi Senatus Parisiensis Decretis demonstratur.

5. Qui contrahunt Matrimonium juxta praescripta a Concil. Trid. formam cum occulto tamen impedimento dirimente, eo per dispensationem sublato, non tenentur rursus contrahere coram parochio benedicente, ac verba consueta pronunciante, sed sufficit si clam inter se contrahant, vel affectum maritalem signo aliquo exteriori sibi mutuo testentur, quemadmodum declaravit S. Pius V, teste Navarro, c. 22 Manualis, n. 5. Extat quoque eam in rem declaratio Cardinalium, data, sedente Clemente VIII S. Pontifice, quam lege post caput 4, sess. 24 Concilii Trid. de reformatione Matrimonii, editionis Lugdunensis. Porro si parochus esset minister necessarius hujus sacramenti, qua ratione absque ejus ministerio valere, ac confirmari posset secundum istud Matrimonium? cum, ut diximus, prius nullum fuerit propter impedimentum dirimens occultum.

6. Denique, Cardinales praepositi interpretationi Concil. Trid. declaraverunt *verum ac ratum esse Matrimonium, etiam si parochus nulla proferat verba; imo etsi ipse dissentiat et invitus praesens adsit, dum contrahentes mutuo sibi dant, et accipiunt fidem.* Eas Cardinalium declarationes habes in editione Concilii Trid. Lugduni facta, p. 427 et 428.

Resp. nego ant.

Ad primam ejus probationem ex Concilio Tridentino, dico id

unum posse merito confici, nempe Synodum Tridentinam nihil circa praesentem statuisset quaestionem, quod certe ultro concedimus; neque enim nos dogma hic proponimus, sed opinionem dumtaxat, quam ut probabiliores amplectimur.

Ad secundam: secundae et posteriores nuptiae carent quidem aliqua benedictione accidentali, quae intra missarum solemnitas a sacerdote pronuntiatur post dictum: «*Libera nos,*» et incipit ab his verbis in Rituali: «*Propitiare, Domine, supplicationibus nostris,*» etc., at non caret alia benedictione essentiali, per quam sacerdos tamquam Dei et Ecclesiae minister conjuges in Matrimonium coniungit, et quae talis est: «*Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, ipse vos coniungat, impleatque benedictionem suam in vobis, et ego coniungo vos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*» Causa vero et ratio cur ulterioribus nuptiis denegat Ecclesia benedictionem illam accidentalem duplex est potissimum. Prima, quia secundae nuptiae quamdam prae se ferunt incontinentiae speciem, a qua procul abest castissima Christi sponsa, unde et poenitentiam imponebat olim secundo nubentibus, et benedictionem denegabat, ut magis inde suum in continentiam studium et amorem significaret. Secunda ratio erat, quia benedictio haec instar est cuiusdam consecrationis, cuius finis est foecunditas mulieris; cum igitur consecratio non iteretur, et mulier, quae iam nupsit, foecunditatem adeptam praesumatur, non repetitur illa benedictio, quae tota tendit ad impetrandam foecunditatis gratiam. Rationem hanc reddit Concilium Lateranense III, sub Alexandro III, titulo de secundis nuptiis, c. 1: «*Vir, inquit, vel mulier ad bigamiam transiens, non debet a presbytero benedici: quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari.*»

Canon Concilii Neocaesariensis, qui citatus est, certe ad rem nostram praesentem non pertinet: neque enim prohibet dari secundo nubentibus benedictionem, sed sacerdotibus tantum vetat ne intersint convivii, quae celebrantur in secundis nuptiis.

Ad tertiam: Notarii illi seu scribe, quibus vices aliquando demandabantur celebrandi Matrimonia, non erant, ut supponit obiectio, viri laici, sed ex cleri ordine assumpti, qui munia ecclesiastica obibant, sicut colligimus ex libro Sacramentorum S. Gregorii, pag. 70,

editionis erediti Patris Menardi benedictini, cujus notas vide in hunc locum ibidem, pag. 59. Idem habemus ex vita S. Caesarii, auctore Messiano presbytero, ubi sic loquitur: «*Cum ecce vir Dei per eadem loca ad aliam pergeret Ecclesiam clericus cui cura erat baculum illius portare quod Notariorum officium erat, oblitus est,*» etc. Notarii ergo illi, de quibus objectio, munia aliqua ecclesiastica obibant, velut cereos tenere, ut ait S. Gregorius loco mox indicato; baculum Episcopi portare, ut ait Messianus, et alia id genus: non erant igitur pure laici, sed ex clero assumpti; non ergo mirum si aliquando deputarentur ad excipiendum consensum eorum, qui Matrimonio conjungi postulabant, et impertiendam ipsis benedictionem conjugalem.

Ad quartam: hoc unum sequitur, Matrimonium contractum praesente parochi, sed benedictionem Ecclesiae recusante, ratum quidem esse quoad vinculum civilem contractum et effectus pure temporales; at ratum et verum esse quoad rationem sacramenti, minime inde demonstratur: imo potius contrarium, siquidem et Episcopi poena excommunicationis animadvertunt in eos, qui sic contrahunt; ac post impositam et adimpletam poenitentiam, compellunt ut rursus coram sacerdote benediciente juxta ritus Ecclesiae contrahant; et ipsi iudices saeculares, postquam pronunciarunt circa valorem et firmitatem contractus civilis, remittunt ejusmodi conjuges ad Episcopum et parochum, ut ab iis poenis canonicis puniantur, et juxta leges ecclesiasticas in Matrimonium, quatenus sacramentum est, rursus conjungantur, facta natariis seu scribis publicis prohibitione, ne admittant contractum conjugalem per verba de praesenti, eumque in tabulas publicas referant, parochi benedictionem Ecclesiae recusante.

Ad quintam, eadem est responsio: nempe eo in casu, si coram parochi non renovetur consensus, esse quidem Matrimonium verum, ratum, indissolubile: sed non esse verum et proprie dictum sacramentum.

Ad sextam, Declarationes illas Cardinalium, quae juris publici factae sunt, nullius ponderis et auctoritatis esse; neque fidem eis esse habendam declaravit S. P. Urbanus VIII, an. 1634, die 2 augusti; declararunt et ipsimet Cardinales, an. 1624, die 29 aprilis et 5 junii. Lege verba apud Sylvium, in 2, 2, S. Thomae, q. 100, art. 2, versus, pag. 708.

Objic. 4. Cum Christus contractum matrimoniale exivit ad dignitatem sacramenti non mutavit naturam ipsius contractus; ergo eosdem esse voluit ministros sacramenti Matrimonii, qui sunt et ipsius contractus. Porro conjuges causam esse effectricem contractus conjugalis, res est manifesta.

Resp. nego conseq. manente quippe eadem natura contractus, diversus esse potest minister Matrimonii prout est contractus et prout est sacramentum: non immutavit enim Christus materiam contractus, sed aliquid ei addidit, nempe dignitatem et efficaciam sacramenti, quae videtur exigere specialem Ecclesiae ministrum, ut diximus.

Objicies denique: Si Matrim. absque benedictione sacerdotali contractum non est sacramentum, quare non monentur heterodoxi cum ad nos redeunt, ut coram paroco rursus contrahant, percepturi sacramenti gratiam?

Resp. rationem esse, tum quia infirmis aliquibus offensionem esse posset lex, quae obligaret ita coram paroco renovandi consensum: suspicari etenim inde possent nullum antea fuisse Matrimonium et sibi concedi licentiam convolandi ad alias nuptias, quod certe falsum est, ac tanti periculi, ut expediat magis talem legem non ferri. Tum quia non constat inter theologos, an Matrimonium, quod valuit in ratio, ne contractus, accedente sacerdotali benedictione, fiat sacramentum. Ratio enim dubitandi est, quod non adsit sacramentum Matrimonii, nisi cum actu fit contractus, hoc est mutus consensus exprimitur, et significatur coram sacerdote: atqui contractus eo in casu non fit, sed jam factus supponitur. Tum denique quia non legimus olim infideles vel haereticos, qui in infidelitate vel haeresi Matrimonio conjuncti fuerant, compulsos fuisse rursus coram Ecclesia contrahere, cum ad ejus sinum confugerunt.

QUAESTIO QUARTA.

De causa efficiente Matrimonii, seu de mutuo contrahentium consensu.

Mutuus contrahentium consensus dicitur causa efficiens Matrimonii, respectu scilicet vinculi, quod remanet post contractum : si enim sermo sit de ipso contractu, ut vocant, in fieri, consensus per verba de praesenti expressus, causa est formalis extrinseca.

Quae spectant necessitatem et conditionem consensus in Matrimonio requisiti, nonnullis hic quaestionibus ac responsis, qua fieri poterit, brevitate et perspicuitate absolvemus. Itaque

Quaeres 1. Utrum ad Matrimonium valide contrahendum necessarius sit utriusque conjugis consensus ?

Resp. affirmative. Matrimonium enim est firmum vinculum mutui atque perpetui amoris, animorum corporumque conjunctio : atqui sine mutuo consensu non stat primo nexus amoris mutui. Ut enim scite ait Nicolaus S. P. cap. *Praesens*, 20, q. 3: « *Quod quis non eligit neque optat profecto non diligit ; quod autem non diligit, facile contemnit.* »

Quae ratio, ut in aliis, ita maxime locum habere debet in eo subeundo jugo, quod perpetuum est, nec solvi potest, eaque onera habet annexa, quae molestiarum, amaritudinis ac laboris plurimum secum trahunt.

2. Sine mutuo consensu non transfertur corporis dominium ; non enim possunt cujusquam bona in alterius transire potestatem, nisi vel cogente lege vel per ipsius domini consensum : cum igitur nulla cogente lege potestas mutua corporum in Matrimonio transferatur, consequens est id non aliter fieri quam per mutuuum consensum eorum, qui contrahunt. Communis haec est Ss. Pontificum et Conciliorum doctrina. Nicolaus I, jam laudatus apud Gratianum, causa 27, qu. 2:

« *Sufficiat, inquit, solus secundum leges consensus eorum (idest quorum quarumque consensu et conjunctionibus agitur) qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* » Nicolai verba repetit et confirmat Innoc. II, cap. *Cum apud sedem* ; cap. *Tuae paternitatis* ; cap. *Tuas de sponsa duorum*. Et Ale-

xander III, titulo *De sponsalibus*, cap. *Cum locum*, ait: «*Matrimonium solo consensu contrahi.*» Dum Ss. Pontifices solum consensum exigunt, nec excludunt alia necessaria secundum leges divinas aut ecclesiasticas; sed innuere dumtaxat volunt, solum consensum contrahentium causam esse efficientem matrimonialis vinculi. Concilium Florent. in decreto, et Tridentinum, sess. 14, cap. 1, de reformatione Matrimonii, idem pariter docent. Inde est, quod cum Rebecca postularetur ad nuptias parentes ipsius consensum explorare prius, quam fidem darent: «*Vocemus puellam*, inquiebant, Gen. 24, vers. 57, et *quaeramus ipsius voluntatem.*»

Quaerunt hic nonnulli scholastici, utrum Deus pro sua absoluta potestate supplere possit consensum et efficere, ut verum sit Matrimonium, non accedente consensu conjugum. Affirmant aliqui, inter quos Estius, in 4, dist. 27, q. 3, rati Deum supremo jure posse conferre dominium corporis unius in alterum; ac consequenter supplere vices consensus, quae est tantum causa efficiens. Verum alii negant; atque non immerito advertunt otiosam videri praesentem quaestionem, cum tali jure nusquam Deus usus fuerit. Ratio est quia consensus est causa formalis, quamquam extrinseca Matrimonii, neque magis potest Deus facere ut sit Matrimonium sine consensu, quam meritum sine actu voluntatis, licet voluntas sit tantum causa efficiens.

Quaeres 2. si consensus defuerit ex parte dumtaxat unius contrahentium; an stet Matrimonium.

Resp. negative cum S. Thom., in 4, dist. 27, q. 1, art. 2, quaestione. 4: «*Si desit, inquit, consensus maritalis ex parte unius, ex neutra parte est Matrimonium: quia Matrimonium consistit in mutua conjunctione.*»

Quaeres. 3. quae sint conditiones requisitae in consensu, ut validum efficiat Matrimonium.

Resp. consensus debere esse internum, et signo aliquo exterius manifestum, sincerum, non fictum; liberum, non coactum; ab errore immunem, publicum.

Dices 1. possunt Principes subditos etiam invitos cogere ad contrahendum Matrimonium, et ad alios contractus civiles ineundos, v. g., ad vendendum frumentum tempore necessitatis.

Resp. eo in casu contractum non esse ex parte illius, qui cogitur, sed ex parte Principis, qui ob publicum subditorum bonum, potest ad hanc venditionem cogere, imo et partem bonorum, quibus nonnulli affluunt, dum alii fame pereunt, a divitibus distrahere, ut aliis concedat.

Dices 2. iudex ecclesiasticus potest etiam poenis canonicis adigere virum ad contrahendum Matrimonium cum virgine, quam corrupit.

Resp. eo in casu Ecclesiam supponere virum illum, ut a poenis immunis fiat, reipsa in Matrimonium consentire; quod si non consentiret, et animo totus reluctaretur. nullum et irritum foret conjugium.

Dices 3. filii impuberes, quorum nomine parentes sponsalia pro futuro contraxerunt, postquam ad adultam aetatem pervenerunt, illa confirmare et rata habere obligantur. Cap. *Tua sanctitas*, causa 31, qu. 3, quod caput Hormisdæ S. Pontifici tribuitur.

Resp. 1. jure novo caput illud abrogatum fuisse. **2.** Mens S. P. sic exponi potest, nempe filium impuberem, si nullam legitimam causam habuerit, teneri ob paternam reverentiam illa sponsalia rata habere; nihilominus tamen si vel justam causam habuerit obsistendi, vel adduci non possit ut consentiat, ab illis potest resiliere, nec celebrare Matrimonium.

Quaeres 4. an consensus interior, nullo signo expressus sufficiat ad Matrimonium.

Resp. neg. 1. quia consensus ille est materia sacramenti; atqui non potest esse materia, nisi fiat sensibilis per aliquod signum exterius. **2.** Quia consensus unius conjugis debet ab alio acceptari: at id fieri non potest nisi cognoscatur per aliqua exteriora signa, homines quippe sensa sua et cogitationes communicare invicem non possunt sola directione et intentione animi, sicut Angeli faciunt, sed per externa quaedam symbola, sive sint verba, sive quodcumque aliud signum. **2.** Quia alias sequeretur inter homines locis sejunctissimos, ac mutuum consensum plane ignorantes, Matrimonium intercedere posse, ex quo certe quanta rei civilis et Ecclesiasticæ perturbatio sequutura esset, nemo non intelligit.

Quaeres 5. per quod exterius signum necesse sit exprimi consensum.

Resp. per verba de praesenti. Ita Eugenius S. P. in decreto : « *Causa, inquit, efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* » Ubi particula haec *regulariter* non refertur ad ipsum consensum, quasi fieri aliquando posset Matrimonium sine consensu; sed refertur ad verba: quia nempe absolute sine verbis potest contrahi Matrimonium per aliqua alia signa externa, ut contingit cum multi junguntur Matrimonio. Ita Innoc. III, cap. *Suae fraternitatis de sponsalibus*, ubi postquam dixit: « *Matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri et mulieris consensum; quantum autem ad Ecclesiam, necessaria esse verba consensum experimentia;* » subiungit: « *surdos et mutos posse contrahere Matrimonium sine verbis.* » Quod enim « *verbis non possunt, signis valent declarare,* ait idem S. Pontifex cap. *Cum apud sedem Apostolicam*. Ita pariter Catechismus, part. 2, de Matrimonio, n. 10: « *Verborum loco, inquit, tum nutus et signa, quas intimum consensum aperte indicent, satis ad Matrimonium esse possunt; tum ipsa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur.* »

Quaeres 6. utrum consensus interior debeat esse verus et sincerus; an fictus per verba tamen de praesenti exterius serio et libere expressus, sufficiat; quidve facto sit opus, cum alteruter conjux post verba exterius serio et libere prolata, contestatur ac declarat se animo revera dissensisse.

Respondent aliqui post Magistrum, lib. 4, dist. 27, littera C, Matrimonium istud validum esse: « *Si verbis explicant, ait Magister, quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt dicentes: Accipio te in virum, et ego te in uxorem, Matrimonium facit.* » Videtur ergo existimare Magister, sufficere consensum in proaunciatione verborum, quae ex se obligationem important, non autem necessarium esse consensum in rem significatam per verba. Solet momentis et rationibus nonnullis confirmari haec opinio.

I. Quia in aliis contractibus, v. g., venditionis, sufficit obligatio resultans ex verbis, quibus contractus exprimitur, sine interiori animo aut vendendi, aut se quocumque alio modo obligandi; alias si eo ipso nulla foret venditio, quo vendens non consentit interius, posset

occulte rem suam accipere et restituere acceptam pretium ipsi emptori, sine peccato contra justitiam; siquidem qui fecte vendidit, non transtulit dominium in emptorem, cum nulla sit venditio defectu consensus: at quam absurdum istud sit, et contra commune bonum: et quam multis, et fraudibus, et dissensionibus aditum aperiat, per se satis est manifestum. Sicut ergo in venditione signa externa contractus voluntarie et serio facta, inducunt veram obligationem, ac firmum efficiunt contractum, etsi desit consensus interior, ita et in Matrimonio.

II. Quicumque rem facit libere ac serio, ex qua nexu necessario sequitur obligatio, ille tali obligatione tenetur, quantumcumque declaret se animum habuisse ab obligatione contrahenda longe alienum: aperta quippe videtur esse contradictio et protestatio, ut ajunt, facto contraria, v. g., si quis solemniter astringat se aliqui religioni, haud dubie voto tenetur, si voluntarie, libere, ac nulla vi compulsus, ea facit et dixit, quae faciunt et dicunt ii, qui vere ac sincere votum solenne emittant, quantumcumque interius ille dissentiat, ac se dissensisse profiteatur.

III. Non alia ratione cognosci potest interior consensus, quam signis exterioribus, neque alius est modus contrahendi inter homines: cum igitur serio et voluntarie exhibentur signa hujusmodi sufficiens censetur adesse consensus ad contractum, ejusque obligationem. Si vero contingat deesse interiorem assensum, praeterquamquod praesumi id non debeat, nec facile credi, nihilominus tamen stat contracta obligatio; nemini quippe sua fraus ac dolus debet patrocinari, atque quam multa inde scandalo, incommoda, familiarum perturbationes, doli, fraudes, conjugum dissensiones ac rixae suboriri possint, nemo non videt. Qui enim ad alias nuptias convolare, suamque dimittere voluerit uxorem, poterit contestari se nusquam animo in Matrimonium consensisse, sed fecte ac dolose; atque Matrimonium, quod contraheret cum altera, in conscientia, et coram Deo ratum esset et validum, licet Ecclesia, quae non judicat de occultis, illud improbaret, et pro nullo haberet. Ratio est, quia prius Matrimonium defectu interioris consensus irritum fuit ac nullum; istud vero, et alia bene multa gravissima incommoda caute declinat laudata Magistri opinio.

IV. Denique, minister qui serio externum sacramenti ritum adhibet, quale Christus instituit et usurpat Ecclesia, vere conficit sacramentum, licet careat interiori intentione faciendi rem sacram: ergo pariter qui per verba de praesenti serio ac voluntarie contrahit Matrimonium, vere contrahit, quamquam animo interius dissentiat.

Respondent alii, et quidem numero plures, Matrimonium in adducta hypothesis nullum esse, quia ex dictis non stat Matrimonium sine consensu conjugum vero, sincero, et ex animo, ut patet ex cap. *Tua nos, de Sponsalibus*, atque fictus consensus re ipsa non est verus consensus, sincerus, et ex animo. Ita docet S. Bonav., in 4, dist. 27, qu. 2: «*Si fit, ait, consensus exterior sine interiori, non est Matrimonium, secundum veritatem, nec secundum divinum iudicium, nec secundum conscientiae forum.*» Ita pariter S. Thomas in eadem, dist., quaest. 1, art. 2: «*Sicut, inquit, si quis ablutionem perciperet exteriorem, non intendens accipere sacramentum, sed ludum, et dolnm facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu, Matrimonium non facit.*» Praeterea Matrimonium est essentialiter contractus, quo contrahentes sibi invicem donant suas personas; quod certe fieri non potest sine consensu vero et sincero. Denique Matrimonium est vinculum perpetui et mutui amoris, est etiam animorum conjunctio, quae omnia esse non possunt sine vero ac sincero consensu.

Ad momenta vero prioris sententiae respondent:

Ad primum: hoc discriminis esse inter contractum conjugalem et alios, v. g., emptionis, et venditionis, quod in priori fiat non tantum corporum, sed animorum conjunctio, quae quidem sine vero ac sincero consensu vix potest intelligi: quamquam non desunt theologi, qui putant ex contractu ficto quocumque, hoc est, qui supponitur esse sine animo se obligandi, re ipsa obligationem non oriri, secluso damno, aut injuria, aut scandalo, quorum opinionem refellit Pontius, l. 1, c. 4.

Ad secundum: negat coram Deo, et in foro conscientiae nasci obligationem, tum in Matrimonio, tum in voto solemnium, ex verbis libere quidem et serio, sed ficte, et sine interiori animi assensu prolatis. Cum enim, inquit, Deo pateat intimus animorum sensus, atque votum ipsimet Deo fiat, voto non tenetur, qui re ipsa interius apud se vovere non intendit, nec se ligare. Non ita porro est quoad forum

externum Ecclesiae, quae cum non iudicet de internis, non nisi per signa exteriora, praesumit et Matrimonium et votum iis in casibus valere quando nullum praecessit signum ex quo prudenter possit iudicare, fictum fuisse animum et contrahendi et vivendi: unde Ecclesia huiusmodi homines obligat et ad retinendum vinculum Matrimonii, et ad persolvendum votum, ut mox dicemus. Hic autem sermo est dumtaxat de veritate Matrimonii coram Deo et in foro conscientiae, si revera animo interiori reluctante contractum fuerit.

Ad tertium eadem est responsio. Recte quidem probat istud tertium argumentum, in foro exteriori Ecclesiae ratum et validum haberi sacramentum Matrimonii, quamdiu certis et invictis indiciis non demonstratur (quod demonstrare difficile est) fictum fuisse in contrahente animum; unde cum alia nubere non permittitur, nec dicenti se cohibuisse consensum, fides habetur; atque ut consensum de novo praebeat, si alias eum retinuerit, jubetur; locum igitur non habent, quae hic timentur, incommoda.

Ad quartum; sunt, qui negant ministrum vere conficere sacramentum, si careat interiori animo seu intentione illud conficiendi, adeoque totum istud quartum momentum ultro concedunt. Alii negant paritatem: quia, inquit, generalius intentio ministri, qua intendit facere exterius quod Christus instituit et usurpat Ecclesia, sufficit ut perficiatur sacramentum; at non sufficit in Matrimonio usurpare verba, quae verum exprimant consensum, si reipsa desit ille interior consensus, quia nempe sine illo fieri non potest, nec intelligi animorum conjunctio, qualis essentialiter ac necessario exigitur in Matrimonio.

Ad auctoritatem vero Magistri, sunt qui respondent, hoc ipsi ut et alia non pauca incaute scripta, condonari debere. Aliis placet eum exponere quasi loquutus dumtaxat fuerit de veritate et validitate Matrimonii coram Ecclesia in foro externo; non vero coram Deo, et in foro conscientiae.

Quantum vero ad secundam propositae questionis partem, quae praxim spectat, quid nempe facto sit opus, cum alteruter conjux post verba exterius libere ac serio prolata, contestatur se vere non consensisse.

Respondent iidem theologi :

1. Eum qui consensum interiorum retinuit, graviter peccasse contra veritatem et justitiam. Contra veritatem quidem, ratione mendacii; cum nempe aliud verbis expressit, quam quod animo sentiebat; contra justitiam, cum alterum contrahentem fraude ac dolo decepit; a quo potestatem in suum corpus recepit, cui recipeream, ut debebat, ille non concessit.

2. Affirmanti se ficto consensisse, fidem non esse habendam, nisi tam certis demonstraret argumentis, ut negari merito non posset: « Praesumendum enim est bonum, ait S. Thom., in 4, dist. 27, q. 1, art. 2, nisi probetur contrarium; » et Innoc. III, cap. « Per tuas de probationibus, ait: « Nimis indignum esse, juxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. » Et sane si cuilibet affirmanti se ficto animo contraxisse, crederetur, atque licentia ipsi fieret ad alias convolandi nuptias, familiarum conditionem, Republicam, ac totam Ecclesiam confundi et perturbari necesse foret. Audiri igitur facile non debet, qui contra propria sua verba et facta reclamanti atque ne serpat ejusmodi proterva licentia, gravissima statim per Episcopum imponi debet poenitentia ita contestanti, ob scilicet fraudem qua et Ecclesiam, et contrahentem alterum delusit; sic fieret, ut aut non declaret se non consentisse, aut saltem de novo, ut debet, consentiat.

3. Respondet, eum, qui ficto consensit, teneri in conscientia sub peccato mortali, vere et ex animo consentire; tum ut verborum, quibus contraxit exterius, veritatem adimpleat; tum ut injuriam et Ecclesiae, et alteri conjugii illatam resarciat; tum ut gravissima, quae inde suboriri possent, et scandala, et incommoda, effugiat. Absolvendus igitur non est vir hujusmodi, nisi prius verum consensum praeberit, sive interius, sive exterius, prout expedire judicaverit prudens sacerdos, etiamsi longe dispar fuerit conditio viri et mulieris; haec quippe disparitas certum et indubitatum non est argumentum denegari veri consensus. Lege Pontium, l. 2, de Matrim., cap. 5. Haec autem sic intelligenda sunt, si nempe nulla sit verisimilis ratio existimandi re ipsa defuisse aliqua ex parte consensum: si enim omnibus bene pensatis ac ponderatis defuisse praesumatur, nec adduci posset qui relu-

ctatur, ut rursus consentiat in Matrimonium, tunc post reparatum partem laesae damnum illatum, et factam pro mendacio et injuria Ecclesiae illatam poenitentiam, absolvi poterit, ac per Judicem ecclesiasticum nullum declarari praecedens Matrimonium.

4. Respondent, non debere Judicem ecclesiasticum in casu proposito declarare nullum praecedens istud Matrimonium, nisi certis aliquibus et indubitatis argumentis probatum fuerit reipsa consensum defuisse; quod certe cum difficile sit demonstrare, raro etiam et difficile admodum debet judex ecclesiasticus tale Matrimonium irritum et nullum declarare. Thom. Sanchez. l. 2 de Matrim., disp. 45, concl. 3, enumerat et expendit conjecturas illas omnes et causas, ex quibus moveri potest judex ut existimet prudenter reipsa defuisse consensum.

5. Denique respondent, quod si revera defuerit consensus, nec adduci possit homo ut illum de novo exhibeat propter aliquas causas gravissimas, non debeat ad alias transire nuptias, nisi post sententiam judicis ecclesiastici, in iis praesertim locis, in quibus viget disciplina Conc. Trid., circa celebrationem Matrimonii: quod si tamen contingat eum cum altera contraxisse, antequam prius Matrimonium fuerit per sententiam judicis ecclesiastici declaratum nullum et irritum, valebit posterius istud conjugium coram Deo, quia nempe prius, defectu veri consensus, nullum fuit; et quamquam per excommunicationem cogeretur ab Ecclesia, relicta posteriori muliere, redire ad priorem, non teneretur ille in conscientia et coram Deo obtemperare, atque nulla foret excommunicatio, cujus nulla esset eo in casu causa legitima, cum reipsa non prius, sed posterius Matrimonium ratum sit. Eodem igitur modo se haberet, ac ille qui cum reipsa haberet uxorem, alteram tamen acciperet, Ecclesia prius ejus Matrimonium prorsus ignorante: teneretur quippe ille, relicta secunda, redire ad primam et solam legitimam uxorem, quamquam etiam lata excommunicatione (errore facti) ab Ecclesia cogeretur remanere cum secunda: quo certe in casu, sicut et in altero debet potius vir patienter ferre sententiam excommunicationis, quam relicta vera et legitima conjuge (quam ignorat Ecclesia) ad aliam, quae sua non est, accedere. Ita Innoc. III, cap. *Inquisitionis tuae. De sententia excommunicationis*: *« Debet potius, inquit, excommunicationis sententiam humiliter sustine-*

re, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. Ita pariter S. Thom., in Suppl., q. 45, art. 4. Ut autem tertium istud incommodum sane gravissimum praecaveatur, caveant conjuges ne interiorē assensum retineant, quem si forte retinuerint, quantocius illum restituant, nec utantur jure conjugali nisi prius eo restituto.

Quaeres 7. an consensus metu extortus reddat Matrimonium validum et irritum.

Ad solutionem propositae quaestionis nonnulla sunt observanda.

1. Voluntas proprie cogi non potest ad actus suos internos; quod enim vult, haud dubie voluntarium est: proprie igitur dicitur cogi, cum nempe aliqua causa impellitur, ut velit.

2. Metus recte definitur: *Instantis periculi vel futuri opinio cum trepidatione.*

3. Multiplex distinguendus hic metus: alius gravis, alius levis; alius qui ex causa interna naturali, alius qui ex causa externa oritur; alius justus, alius injustus, alius denique reverentialis.

Metus gravis est de aliquo imminente probabiliter malo, vel in se gravi, ut est mors, mutilatio, exilium, vel gravi ratione timentis, sicut mulieri potest esse grave malum, quod leve est viro. Levis est, qui concipitur de levi malo, et secundum se, et in ordine ad personam timentem. Prior dicitur cadens in constantem virum, non item posterior.

Metus ortus ex causa interna naturali dicitur, qui vel ob conservationem vitae, vel ob fugam poene aeternae, vel ob quodcumque simile fugiendum aut assequendum impellit ad agendum.

Metus e contra ortus ex causa externa dicitur, qui agente exteriori comminante ac premente concipitur; et hic iterum duplex: vel enim externum agens est tantum occasio-metus, vel est vera et efficiens ipsius causa, ratione violentiae, quam infert, v. g., mercator, saeviente tempestate, ad vitae conservationem merces in mare projicit, aut votum aliquod emittit: tempestas dicitur occasio hujus projectionis mercium, et emissionis voti; e contra latro districto pugione mortem comminatur nisi pecuniam dederis; violentia haec exterior dicitur vera causa metus, ex quo fit actio.

Metus justus dicitur, qui a iudice vel superiori ex causa legitima

incutitur, quae fundamentum habet in crimine illius cui incutitur metus, v. g., Titius virginem corrumpit, data fide futuri Matrimonii: conjicitur in carcerem, atque gravi intentata poena compellitur ducere in uxorem puellam, quam decepit; metus hujusmodi justus est.

Metus vero injustus dicitur, qui contra justitiam indebite incutitur; Metus denique reverentialis est futuri mali existimatio, quod nobis metuendus ab illis, in quorum legitima potestate sumus, et quos revereri ac colere tenemur: tales sunt, v. g., parentes. His praenotatis,

Resp. 1. Matrimonium ex metu gravi injuste incusso contractum, nullum esse et irritum. Ita summus pontifex Alexander III, eap. *Cum locum, de sponsalibus*: «*Cum locum, inquit, non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur; et ubi de illo quaeritur plena debet securitate gaudere: cujus est animus indagandus, an per timorem dicat sibi placere quod odit.*» Ratio manifesta est: ad Matrimonium etenim perficiendum necessaria est conjunctio animorum per amorem mutuum; at ubi gravis intervenit metus, nec animi vere per amorem sociari possunt; nec consensus liber est. Unde merito Codicis, lib. 5, tit. 4, leg. 14, dicitur: «*Neque ab initio Matrimonium contrahere, neque dissociatum reconciliare quisquam cogi potest. Unde intelligis liberam facultatem contrahendi atque distrahendi Matrimonii transferri ad necessitatem non oportere.*»

Resp. 2. Matrimonium contractum ex gravi metu juste incusso, sive per causam naturalem internam, sive per externa, validum esse. Ratio primae partis est, quia qui agit ex metu per causam internam naturalem incusso, libere agit; seipsum enim ad unum determinat, ut aliud effugiat, ac declinet. Sic valide contrahit Matrimonium, qui vel metu mortis, vel amore sanitatis, vel ad poenam aeternam seu damnationem fugiendam ad illud contrahendum impellitur. Eo fere modo, quo qui, urgente ac saeviente tempestate, votum emittit, haud dubie voto tenetur, quamquam metu mortis facto, quia libere fit: est quippe in libertate illius hominis se morti praesenti objicere, potius quam vivere; quicumque ergo Matrimonium contrahit, ut liberet se

ab aliquo gravi malo, quod pertimescit, haud dubie vinculo conjugali vere obstrictus ille est, dummodo malum illud eum in finem non sit injuste intentatum, ut tale contrahat Matrimonium. Ratio secundae partis est quia sibi imputare debet homo ille, quod ita sit metu adigendus ad Matrimonium cui per delictum suum justam dedit occasionem; aliunde vero praesumitur libere consentire, ut se expediat ab illis malis, in quae se ultro conjecit. Qui igitur carcere detentus eam puellam in uxorem ducere compellitur, quam post fidem datam deceperat, et ni fecerit, mala gravissima non effugiet, valide contrahit Matrimonium, quia metus ille, quamquam gravis, juste incutitur; postulat enim ordo justitiae ut damnum illatum reparetur. Pariter valet Matrimonium in eo, qui, ut effugiat poenam capitis, qua damnatus fuerat, talem mulierem ducit in uxorem; imo si metus sit ab aliqua causa externa injuste incussus, non tamen praecise eum in finem ut Matrimonium contrahatur, valet Matrimonium contractum ea intentione, ut periculum illud imminens fugiatur.

Resp. 3. Matrimonium ex metu gravi, etiamsi justam originem habuerit contractum, nullum esse, quoties qui metum illum incutit, peccat contra justitiam et bonos mores. Sic, v. g., *veniens de sponsalibus*, dicitur nullum Matrimonium contractum a juvene, quem, quia pater cum filia deprehendit, interficere voluit, et ideo illam duxit Ratio est quia metus ille reipsa injuste incutitur: namque non potuit pater illius puellae juvenem propria sua auctoritate interficere, sicut poterat juste accusare apud judicem, et in vincula conjicere.

Resp. 4. Matrimonium contractum ex metu levi, ratum esse: quia levis ille metus facile depelli potest, nec tollit libertatem.

Resp. Denique Matrimonium ex metu reverentiali contractum, esse validum: quia quod fit ex reverentia, quae parentibus debetur, ultro, ac libere fit; imo eo liberius, quo parentibus placere illud magis cognoscitur. Quod tamen sic intellige, modo absit ex parte parentum omnis verberum comminatio, ira gravis, ac plane morosa et difficilis cum illis cohabitatio, etc., his quippe in casibus metus censetur gravis et injuste illatus: vim enim suis filiis inferre non debent parentes, sicut nec principes suis subditis, ut certa ineant Matrimonia, quemadmodum mandat Conc. Trid., sess. 24, de reform. Matrimonii, c. 9.

Quæres 8. an consensus in Matrimonium debeat esse ab errore immunis, et publicus; hoc est coram Ecclesia expressus.

Resp. affirmative.

Quæres. 9. an consensus sub aliqua conditione datus, etiam per verba de præsentem, sufficiat, ut ratum sit et validum matrimonium. V. g. si quis dicat: «*Habeo te in uxorem, si pater meus consenserit.*» etc.

Resp. non valere. Ratio est, quia consensus sub conditione non Matrimonium, sed sponsalia dumtaxat efficit; Matrimonium enim non fit, nisi per consensum præsentem et actu expressum: sed ubi datur sub conditione consensus, non censetur præsens, sed tantum futurus, cum nempe implebitur conditio, cujus proprium est suspendere effectum; ea itaque pendente, pendet et ipse consensus, pendet et ipsam Matrimonium: unde quando impletur conditio, sub qua contractus conjugalis initus fuit, novo opus est consensu, ut ratum evadat Matrimonium. Favet Jus Canonicum, cap. *Super eo, De conditionibus appositis*, ubi cum quaesitum esset ab Urbano III summo Pontifice, an qui consensit in quamdam femineam, si pater ejus præstaret assensum, sit ad Matrimonium compellendus? Respondet summus Pontifex: «*Cum ejusmodi consensus non sit habendus de præsentem, licet per verba de præsentem evidenter exprimat, quia in alieno arbitrio non habita, sed habenda consistit;*» talem, nisi voluntas patris postmodum accesserit, non esse cogendum ad Matrimonium contrahendum. Pariter cap. *Per tuas, De conditionibus appositis*, consultus S. P. Innocentius III, de contractu per verba de præsentem celebrato sub ista conditione: Si pater et patruus consentirent; verum priusquam resisterent, contrahentes copulati sunt, si respondet: «*Cum liquido constet, quod post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsequuta, pro Matrimonio est præsumendum, quia videntur a conditione apposita recessisse. Nam et si probatum sit, quod postquam pater et patruus contradixere sponsalibus, idem vir mulierem illam carnali conjunctione cognoverit, non est tamen aliquo modo probatum, quod antequam ipse cognovisset eandem, pater ejus et patruus contradicere curavissent.*» Quo in loco observandum summum Pontificem contractum illum per verba de præsentem celebratum non appellare Matrimonium, sed sponsalia. Deinde ad contrøyer-

siam definiendam recurrit S. Pontifex ad praesumptionem juris, nempe illa sponsalia sub tali conditioni facta transire per subsequentem copulam in Matrimonium; censet igitur sponsalia contracta sub conditione, non habere veram Matrimonii rationem ac naturam.

Non absimili ratione eundem casum solverant Cardinales praepositi interpretationi Concilii Trid. sedente summo Pontifice Clemente VIII. En casus: « *Titius cum Bertha coram parochi et testibus contraxit Matrimonium per verba de praesenti, sed hac tamen conditione, si id salvo meo honore fieri potest, et si fratribus meis placuerit. Deinde, non expectato conditionis eventu, copulam habuit cum Bertha affectu maritali, et copula scitur a multis. Quaeritur an per haec sit jam firmatum Matrimonium de praesenti, nec oporteat expectare conditionis eventum. Et ratio dubitandi est, quoniam contractus ille coram parochi et testibus cum fuerit per appositam conditionem suspensus, non potuit habere vim Matrimonii de praesenti, sed sponsalium de futuro, et copula cum affectu maritali subsequuta, quamvis ostendat recessum fuisse a conditione, tamen non sufficit ad Matrimonii veritatem, nisi de praesenti contrahatur coram parochi et testibus.* » En casus, cui sic respondent dicti Cardinales: « *Congregatio Concilii censuit in casu proposito valere Matrimonium, nec requiri, ut de novo coram parochi et testibus contrahatur.* »

Quaeres 10. an, et quae conditiones possint apponi in contractu Matrimonii.

Resp. 1. ex mox dictis, conditiones, si quae apponuntur, spectare dumtaxat sponsalia, non Matrimonium ipsum, neque enim post Concil. Trid. cuiquam licet Matrimonium sub conditione contrahere.

Resp. 2. conditiones, quae apponi possunt, multiplicis esse generis. Aliae quippe sunt generales; sic dictae, quod in quolibet contractu semper occurrunt, sive exprimantur, sive non; ut, v. g., si quis dicat: « *Ducam te in uxorem, si vixerimus, si Deus voluerit,* » etc. Aliae sunt speciales, et rursus ex istis quaedam sunt intrinsecae, sine quibus stare non potest Matrimonium: v. g., si quis dicat: « *Ducum te in uxorem, si non sis mea consanguinea, vel si non sis jam Matrimonio conjuncta;* » quaedam vero sunt extrinsecae, et rursus ex istis aliae sunt necessario eventurae, ut: « *Contraham tecum, si sol mane oriatur;* » aliae

omnino impossibiles, ut : « *Contraham tecum, si coelum digito attigeris* ; » aliae vero contingentes et possibiles, inter quas aliquae sunt honestae, aliquae turpes, aliquae indifferentes, et tandem inter turpes, aliquae sunt contra substantiam et bonam Matrimonii, nempe prolem, fidem et sacramentum, aliquae vero non adversantur substantiae Matrimonii; aliae denique sunt conditiones vel de futuro, vel de praesenti. De his omnibus sic statuendum.

1. Conditiones generales non magis suspendunt contractum, quam si non exprimerentur, quia subintelligi et praesupponi semper debent.

2. Conditiones intrinsecae, quae vel natura vel legis auctoritate insuat conjugali contractui, sine quibus stare non potest, non reddunt pariter contractum sponsaliorum conditionatum, nec suspensum, v. g., si quis dicat : « *Contraham tecum, si non ex consanguinea, si non es Matrimonio conjuncta* » vel : « *Si coram parocho consensum dederis* » Ratio est, quia conditiones hujusmodi intrinsece includuntur in ipso contractu, ac perinde est sive exprimantur sive taceantur; et ideo non habent vim verae conditionis, cujus proprium est effectum suspendere.

3. Conditiones necessario eventurae non suspendunt contractum, ac perinde se habent ac si appositae non fuissent. Ita in jure civili : « *Qui sub conditione stipulatur, quae omnino exitura est, pure videtur stipulari.* » Ratio est, quia cum futura illa conditio jam praesens sit et determinata, in sua causa naturali, ita ut impossibile sit oppositum esse, censetur jam impleta : nisi forte contrahentes vel conditionem hanc contingentem esse credidissent, vel eam non tamquam conditionem, sed temporis praefinitionem apposuissent, quo casu suspenderet, donec impleta foret conditio, v. g., si quis diceret : « *Contraham tecum, si sol mane oriatur,* » et intelligeret ortum illum esse contingentem, vel per illum ortum intelligeret visibilem discussis nubibus solis aspectum, haud dubie suspenderetur contractus. Pariter si hunc solis ortum non tamquam conditionem, sed temporis praefinitionem apposuisset, suspenderetur contractus, donec accederet tempus praefinitum. Oberva, quod si conditio necessaria non habeat diem certum ac praefinitum, qualis est, v. g., ista : « *Contraham tecum, si Titius moriatur,* » suspenditur contractus usque ad diem mortis Titii; quamquam enim

necesse sit illum mori, non tamen certus ac determinatus est respectu contrahentis dies mortis Titii; secus si conditio necessaria habeat diem certum, qualis est ista: «*Contraham tecum, si sol cras oriatur.*»

4. *Conditiones impossibiles et turpes, quae non adversantur substantiae Matrimonii, habentur pro non adjectis, nec suspendunt contractum, sed absolutum et purum efficiunt, v. gr., si quis dicat: «Contraham tecum, aut contraho, si solem stare feceris, vel si furtis ac latrociniiis operam dare mecum volueris.»* Ita Gregorius IX summus Pontifex, cap. *Si conditiones de conditionibus appositis*, ubi sic statuit: «*Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiolem; aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quamtuncumque sit favorabilis, caret effectu: licet aliae conditiones appositae in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.*» Consentiant vulgo Doctores Canonistae, sola juris canonici dispositione conditionibus illis vel turpibus vel impossibilibus non suspendi connubialem contractum: stando quippe in uno jure naturali, videtur potius suspendi contractus per conditiones hujusmodi, sicut recte observat Basiliius Pontius, lib. 3, de Matrim., cap. 3, n. 2. Verum disputant inter se iidem Doctores, de sensu mox citati decreti, cujus varias explicationes legere poteris apud mox citatum auctorem, lib. 3, cap. 4, et Thomam Sanchez, lib. 5, disp. 3, quibus praetermissis, placet in primis expositio, quam affert Sanchez loco citato, n. 18, nempe: «*Omnes fideles dum sacramenta recipiunt, censentur ea recipere juxta Ecclesiae intentionem; et dum contractus ineunt Matrimonii, et norunt conditionem esse impossibilem, eamque rejici ab Ecclesia, et pro non adjecta haberi, sed praesumere consensum esse purum et absolutum, videntur velle pure contrahere juxta intentionem Ecclesiae, et ut ipsa Ecclesia praesumit, et indicat tale Matrimonium, nisi aliter suam explicent intentionem.*» Conditiones ergo illae aut impossibiles aut turpes, hoc est, quae sunt contra bonos mores et ad peccatum inducunt, rejiciuntur a contractu sponsalium, et Matrimonii, ac pro non adjectis habentur. Ratio est, quia Ecclesia in gratiam et favorem Matrimonii, quantum potest, praesumit; existimat igitur

conditiones hujusmodi non serio, sed jocosè apponî, unde pro non adjectis habentur. Vide Sanchez, lib. 3, disp. 13. Si vero conditiones illae turpes sint vel de praesenti, v. g. : « *Contraho tecum, si sis inimica Petri, si hominem occidisti, aut fornicationem commisisti.* » sentiunt vulgo theologi conditiones hujusmodi, quamquam turpes, rejiciendas non esse, atque valere contractum, comprobata veritate conditionis. Ratio est, quia conditiones illae non inducunt ad peccatum, sed illud supponunt.

Quaeres 11. quanam conditiones censeantur esse contra substantiam Matrimonii.

Resp. eas esse, quae militant adversus bona Matrimonii, nempe prolem, fidem et sacramentum. Si quis igitur diceret: « *Contraho tecum, si nullos mihi procreaveris liberos, si venena sterilitatis sumas, generationem evites.* » Pariter: « *Si te alteri adulterandam dederis.* » Pariter: « *Contraho tecum, donec aliam invenero nobiliorem, ditio-rem,* » etc., totidem sunt conditiones, quae vitiant substantiam Matrimonii, ejusque laedunt vel finem, vel sanctitatem, vel indissolubilitatem. Inde facile inferes, omnem conditionem, quae resolutoria est, hoc est, quae eo animo apponitur ut solvatur Matrimonium contractum, nullam esse, ac plane rejiciendam, cum nusquam, nisi sola morte, dissolvi possit Matrimonium ratum et consummatum.

Ex his facile colliges, conditiones honestas contractui sponsaliorum apponi posse, sive sint de praesenti, vel de praeterito, vel de futuro, earumque comperta veritate, contractum de conditionato transire in absolutum.

Quaeres 12. qua verborum formula debeat exprimi consensus in Matrimonium.

Resp. iis exprimi debere verbis aut signis, quae, juxta consuetudinem loci aut communem intelligendi modum expriment consensus de praesenti: v. gr. : « *Habeo te in uxorem ; Duo te,* » etc. Ratio est, quia non fit Matrimonium nisi per consensum de praesenti.

Quaeres 13. quid sentiendum sit de formula contrahendi, in qua ponitur dictio exclusiva, v. gr. : « *Non ducam,* » vel : « *Non duco aliam nisi te.* »

Resp. 1. in propositione de praesenti aut praeterito particulam

exceptivam includere semper affirmationem: ut in istis propositionibus: «*Non video nisi te;*» sensus est: «*Te video, et nullum alium.*» Pariter in isto S. Matth. loco: «*Neminem viderunt nisi solum Jesum;*» sensus est: «*Jesum videretur. et nullum alium eum ipso.*» In ista pariter propositione: «*Nolo aliam uxorem, nisi te,*» sensus est: «*Te solum duco, et non aliam,*» ac vere tali verborum formula Matrimonium perficitur.

Resp. 2. in propositionibus de futuro, vel quae respiciunt tempus futurum, particulam exceptivam non includere post negationem affirmationem, nisi aliquid extrinsecum apponatur quo affirmatio inclusa significetur, vel id postulet subjecta materia, et id, de quo agebatur, ostendat, v. g., in istis propositionibus: «*Non ingrediar religionem, nisi carthusianorum;* *Caesar promisit se hoc anno non gesturum bellum, nisi contra Turchas:*» sensus non est obligari, sed ad ingrediendam religionem carthusianorum; pariter Caesarem obligari ad bellum contra Turchas suscipiendum, ratio est, quia particula exceptiva, *nisi*, his in propositionibus conditionalis est, atque istum efficit sensum, si religionem ingrediar, non aliam, quam carthusianorum; si Caesar bellum moverit, non contra alios, quam contra Turchas. Ista similiter propositio: «*Non aliam ducam quam te,*» obligationem non inducit, nec efficit contractum sponsaliorum: sensus enim est: «*Si aliquam duxero uxorem, non aliam, quam te.*» Addidi, nisi aliquid extrinsecum apponatur quo affirmatio inclusa significetur, vel id postulet subjecta materia, quo casu obligatio noscitur ad id quod enuntiatur in propositione: v. g., cum dicitur 3 Regum 22, v. 31. «*Non pugnabitis contra majorem quemquam vel minorem, nisi solum contra regem Israel.*» Et 2, Paralipomenon, c. 18, v. 15: «*Ne mihi loquaris, nisi quod verum est,*» sensus est. «*Pugnabilis contra regem Israel, et non contra ullum alium; Loqueris verum, et nihil aliud nisi verum.*» Ex subjecta scilicet materia, et circumstantiis clara est, particulam exclusivam post negationem unius, includere affirmationem alterius. Pariter igitur si quis post stipulationem factam dotis, et aliarum rerum hujusmodi dicat: «*Non aliam ducam, nisi te,*» certum est ex materia subjecta, et circumstantiis veram obligari fidem ad ducendam talem in uxorem, deoque verum esse contractum sponsaliorum.

Resp. 3. particulam exceptivam in oratione affirmativa positam, vere ponere actum in casu excepto, et remove ab omnibus aliis : v. gr., cum dicitur : « *Duco tantum te,* » fit Matrimonium ; quod enim ponat actum ex vi affirmationis planum est, alias propositio non esset affirmans, aut esset falsa : quod autem alia ab actu excludantur, hoc habet, quatenus est exceptio, alias non esset vera propositio.

Q U A E S T I O Q U I N T A .

De proprietatibus Matrimonii.

Theologi post Ss. Augustinum et Thomam tria distinguunt nuptiarum bona, fidem, prolem, et sacramentum. Nomine fidei non intelligunt theologicam hujus nominis virtutem, sed eam justitiae partem, qua promissis conjuges stare debent, in servanda scilicet thori conjugalis fide ac integritate, ne ad aliam vel alium accedant. Per sacramentum hic intelligunt signum unionis sacrae, ac perpetuae quae est inter Christum et Ecclesiam. Fides Matrimonii unitatem, sacramentum firmitatem et indissolubilitatem, proles vero necessitatem demonstrat, quae praecipuae sunt Matrimonii proprietates, de quibus dicendum nobis est.

ARTICULUS PRIMUS.

De unitate Matrimonii.

Unitati Matrimonii opponitur polygamia, seu uxorum pluralitas : haec autem vel successiva est, cum nempe mortuo uno conjuge, alter ad secundas vel ulteriores convolat nuptias ; vel simultanea, cum eodem tempore aut vir plures uxores, aut mulier plures habet viros. De utraque seorsim agendum.

*De Polygamia successiva.**An secundae et posteriores nuptiae sint licitae.*

Fuisse illicitas, ac per se malas censuere inter veteres haereticos Montanistae, quibus se adjunxit Tertullianus, referente S. Augustino; l. de haeresibus, cap. 26, tum Novatiani teste Theodoro, l. 3. haeretic., fabul., cap. 5. Illustrissimus de Marca tractatu de Matrimonio, existimat, ratas quidem fuisse apud veteres secundas nuptias publice ac legitime contractas, at negat eas pro vero sacramento habitas tunc fuisse.

Ut vero intelligas statim in ipso quaestionis limine, quae fuerint inter catholicos veterum aliquorum scriptorum mens, cum paullo durius ac severius locuti sunt de secundis nuptiis observa istas considerari posse vel in se simpliciter, vel ratione intemperantiae et incontinentiae, qua praesumuntur a nubentibus celebrari. Ista dum acriter et vehementiori stylo insectati sunt veteres, ipsasmet posteriores nuptias visi sunt nonnullis damnasse; unde purgare se, ac omnem erroris suspicionem editis apologiis amoliri a se compulsi fuere; quod in primis B. Hieronymo contigit, servido inter caeteros scriptores, ac castitatis et continentiae propugnatore acerrimo.

Tria vero hic a nobis exponenda sunt capita.

Primum, quodnam fuerit Ecclesiae votum ac desiderium circa secundas nuptias.

Secundum, quae fuerit vetus disciplina circa secundas et posteriores nuptias.

Tertium, quae fuerit Ecclesiae fides ac doctrina circa bonitatem et honestatem secundarum nuptiarum; an eas aliquando velut malas et illicitas habuerit.

PRIMA CONCLUSIO.

*Ecclesia secundas et posteriores nuptias generatim nec suavit inquam,
nec ex voto probavit a quibus exoptasset at abstinerent fideles.*

Probatur 1. ex consilio quod viduis dat S. Paulus, 1 Cor. 7, v. 8: «*Dico autem non nuptis, et viduis: bonum est illis si sic permanent;*» et v. 39: «*Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego spiritum Dei habeam.*»

Probatur 2. testimoniis veterum.

Tertullianus, l. 2 ad uxorem, cum nondum ad Montanistas defecisset, cap. 4: «*Apostolus, inquit, de viduis quidem et innuptis ut ita permanent, suadet, cum dicit: Cupio omnes meo exemplo perseverare. De nubendo vero in Domino, cum dicit: Tantum in Domino; jam non suadet sed exerte jubet.*»

Theophilus Antiochenus, l. 3 ad Autolyceum ante medium, quale fuerit Ecclesiae christianae votum ac desiderium circa secundas et posteriores nuptias his verbis exprimit: «*Penes christianos, inquit, modestia et temperantia florent, continentia viget, unius uxoris legitimum Matrimonium (μοργανία) servatur, castitas colitur.*»

Idem significat Minucius Felix in Dialogo, post medium: «*Nos, inquit, pudorem non facie, sed mente praestamus, unius Matrimonii vinculo libenter inhaeremus; cupiditatem procreandi aut unam scimus, aut nullam.*»

S. Ambrosius, l. de Viduis, c. 11: «*Pro consilio dicimus, inquit, non pro praecepto imperamus, provocantes potius viduam, quam ligantes: neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus. . . . Plus dico, non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus saepe repetitas; neque enim expedit, quidquid licet.*»

S. Hieronymus in epistola ad Geruntiam, vel Ageruchiam 91, alias 11: «*Quid igitur, inquit, damnamus secunda matrimonia? minime; sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia bigamos? absit: sed*

monogamos ad continentiam provocamus. » Ibidem : « *Aliud est, inquit, quod vult Apostolus : aliud quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, meae est incontinentiae, non illius voluntatis . . . Duæ sunt Apostoli voluntates : una qua præcipit . . . altera qua indulget . . . Vult nos permanere post nuptias sicut seipsum . . . sin autem nos viderit nolle, quod ipse vult, incontinentiae nostrae tribuit indulgentiam.* » Igitur incontinentiam eorum, qui pluries nubunt, culpatur sanctus Doctor. Narrat eam in rem ibidem sanctus Doctor lepidam historiam, vidisse, se nimirum Romae « *duo inter se paria vilissimorum e plebe hominum comparata, unum qui viginti sepellisset uxores, alteram, quae vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut ipsi putabant, Matrimonio copulatos.* » Toties repetitas nuptias velut certissima impotentis intemperantiae argumenta habebat sanctus Doctor, atque in eas stylo ardentiori declamabat : « *Quid, inquiebat, dicemus tali mulieri? nempe illud quod Dominus Samaritanae : Viginti duos habuisti maritos, et iste, a quo sepeliris, non est tuus.* » Quae certe non ea mente dicebat S. Doctor, ut vigesimum tertium illud Matrimonium tamquam nullum aut in se malum damnaret, sed ut tam impotentem mulieris illius incontinentiam perstringeret.

Cum idem S. Hieronymus in suis adversus Jovinianum libris castitatem et continentiam tot extulisset laudibus, ut nuptiarum sanctitatem vellicare nonnullis videretur, seipsum veluti purgare ab omni hac in parte suspicione erroris compulsus fuit, scripsitque epistolam 50, alias 50 ad Pamnachium, quae est apologia librorum adversus Jovinianum. In eam suam circa secundas, et posteriores nuptias mentem atque sententiam declarat. « *Ego, inquit, c. 7. nunc libera voce proclamo non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam; et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo et secundo marito nubere : sed quomodo non damnantur istae nuptiae, ita nec praedicantur. Solatia miseriae sunt, non laudes continentiae . . . omnia licent, sed non omnia expediunt. Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest, octogamos : habeat. cui libet, octavum maritum, et esse desinat prostituta.*

Denique S. Jo. Chrysostomus Homilia in haec verba Apostoli, 1. Cor. 7, « *Mulier alligata est legi,* » etc. exponens ista quae

sequuntur : « *Si autem dormierit (vir ejus) libera est cui vult nubere tantum in Domino ;* » sic loquitur : « *Et habentibus viros et non habentibus et viduas, et secundo nubentibus marito, et omnibus simpliciter sermo ille utilis . . . Quae vero est libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter neque temere hoc facit, sed cum legibus quae sunt a Paulo positae.* » Et paullo post : « *Etenim quod de nuptiis, et virginitate fecit, hoc et de prioribus et secundis nuptiis: quemadmodum enim illic non exclusit nuptias . . . ita et hic quoque alios gradus ponit nobis, majorem scilicet et sublimiorem altero alterum, nempe viduitatem; alterum vera inferiorem, nempe secundas nuptias.* » Et postea : « *Propter hoc enim dixit: Libera est cui vult nubere ;* » et subdit : « *Tantum in Domino: simul et licentiam dans, et licentiam confirmans, et potestatem concedens.* » etc.

Ex his omnibus facile intelligitur, Ecclesiae votum ac desiderium fuisse ut fideles a secundis et ulterioribus nuptiis abstinerent, non quidem ut illicitis ac per se malis, sed ut minus perfectis. Patebit adhuc magis haec Ecclesiae mens ex severa ipsius disciplina circa eos qui saepius nubebant.

SECUNDA CONCLUSIO.

Severior fuit prioribus saeculis Ecclesiae, praesertim graecae, disciplinae ratio erga eos, qui ad secundas et ultiores transibunt nuptias.

Patet hujus severae disciplinae ratio,

1. Ex poenitentia quae solebat imponi iterum nubentibus.

Ita praecipiunt caeones.

Neocaesariensis tertius : « *De his, inquit, qui saepius nubunt tempus quidem poenitentiae, quod his constitutum est observabunt: sed conversatio et fides eorum tempus abbreviabit.* » Et Canon septimus : « *Praesbiterum inquit, convivio secundarum nuptiarum interesse non debere, maxime cum praecipiat, secundis nuptiis poenitentiam tribuere. Quis ergo erit presbyter, qui propter convivium illis consentiat nuptiis ?* »

Ancyranus decimus nonus : « *Quicumque, inquit, virginitatem pro-*

fitentes, professionem suam irritam reddunt, si bigamorum definitionem impleant,» hoc est, iisdem subiaceant poenis, quibus bigami.

Laodiceus primus: *«De his, inquit, qui secundum ecclesiasticam regulam libere ac legitime secundis nuptiis juncti sunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut parvo tempore transacto, vacent orationibus et jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus.»*

Quod poenitentiae tempus praefixum ac determinatum non fuit his canonibus, postea determinavit S. Basilius, aut potius Ecclesia Graeca, cujus disciplinam expressit S. ille Doctor in sua canonica ad Amphiloichium epistola, canon. 4, sic loquitur: *«Trigamorum et polygamorum eundem canonem definimus, quem in bigamis pro proportione. Annum enim in bigamis, alii vero duos annos. Trigamos autem, saepe tribus et quatuor annis segregant . . . Consuetudine autem accipimus in trigamis quinquennii segregationem, non a canone sed ab eorum, qui praeoccuparunt, consequentia: oportet autem non eos omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis; et postea permittit quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, a boni tamen communione abstinere: et sic postquam poenitentiae fructum ullum ostenderit, communionis loco restituere.»* En severa disciplina, qua bigamos et trigamos castigandos esse volebat S. Basilius. Ejusdem poenitentiae bigamis impositae mentionem faciunt Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus in Capitulari 4 Spicilegii, tom. 9; Egbertus Eboracensis Archiepiscopus, in Exceptis suis can. 89, et alii.

2. Bigami irregulares habeantur ad sacros ordines. Ita S. Paulus, 1 ad Timoth. 3, v. 2: *«Oportet, ait, Episcopum irraprehensibilem esse, unius uxoris virum.»* Idem repetit ad Titum scribens, c. 1, v. 6, per virum autem unius uxoris, non tantum intelligit Apostolus eum qui plures simul habet uxores, quod certe in lege Christi nusquam licet, sed eum qui semel dumtaxat fuerit Matrimonio junctus. Idem quoque requirit in viduis: ut nempe assumi possint in ministerium quod etiam fidelibus impendere solebant; 1 ad Timoth. 5, v. 9.

Disciplinam hanc semper in Ecclesia observatam fuisse testantur Veteres.

Tertullianus, l. 1 ad uxorem, c. 7: *«Quantum, inquit, fidei de-*

trahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiae secundae, disciplina Ecclesiae, et praescriptio Apostoli declarat, cum bigamus non sinit praesidere cum viduam allegi in ordinem, nisi univiram non concedit.»

Origenes, Hom. 17, in Lucam: « *Nec Episcopus, inquit, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua possunt esse bigami.* »

S. Hieronymus, epistola ad Ageruchiam 91, alias 11: « *Non solum, enim, inquit, ab officio sacerdotii bigamus excluditur, sed et ab elemosyna Ecclesiae: dum indigna putatur stipe, quae ad secunda conjugia devoluta est.* » Ibid. ostendit S. Doctor etiam apud Gentiles non alios in ministerium falsis diis exhibendum assumptos, quam qui servarent continentiam. « *Hierophanta, inquit, apud Athenas eviratur, et aeterna debilitate sit castus. Flamen unius uxoris ad sacerdotium admittitur: Flaminea quoque unius mariti eligitur uxor.* »

Irregularitas illa orta ex bigamia, dicitur in jure canonico ex defectu sacramenti: non hoc quidem sensu, quasi secundae nuptiae non sint verum sacramentum, sed quod significatio sacramenti non sit tam perfecta et completa in secundis, quam in primis nuptiis. Matrimonium enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quae conjunctio est unius cum una: sed bigamia hanc aufert Coelestinus III, S. P. cap. *Debitum. De bigamis.* Alia quoque hujus irregularitatis causa, et ratio petitur ex incontinentia quae praesumitur esse in iis qui saepius nubant, quae certe ministros Ecclesiae maxime dedecet.

3. Qui secundo nubebant, benedictione sacerdotis, et corona, imo et elemosynis Ecclesiae privabantur: atque hac veteri disciplina motus illustrissimus Petrus de Marca, existimavit secundas nuptias ratas quidem et legitimas fuisse in ratione contractus apud veterem Ecclesiam, sed veri sacramenti rationem non induisse, cum privarentur et praesentia sacerdotis et benedictione Ecclesiae.

Benedictione sacerdotis privatos fuisse, testis est S. Caesarius Arelatensis, Serm. 289 in Appendice novae editionis operum S. Augustini: « *Qui uxorem accipere, inquit, sicut illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit: quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa non merebitur.* » Testis et Ambrosiaster ad c. 7, prioris ad Corint. « *Primae nuptiae, inquit, sub benedictione Dei celebrantur solemniter, secundae autem, et in pietate carent gloria*

id est benedictione. Idem quoque testatur Synodus Lateranensis sub Alexandro III, titulo *De secundis nuptiis*, cap. 1, verba superius relata sunt.

Apud Graecos corona non fuisse donatos bigamos constat ex epistola Theodori Studitae ad Naukratium, apud Allatium, l. 3 de perpetua consensione Ecclesiae Occidentalis et Orientalis, cap. 13. Ibi ostendit coronam conjugibus imponi in signum victoriae quam ex voluptate et intemperantia reportarunt: *At secundae nuptiae, inquit, tametsi permittuntur, poena castigantur: quomodo enim coronatione dignae sunt, quae non vincunt, sed vincuntur?*

Addit ibid. non prius ad secundum Matrimonium admitti fideles, quam injunctam a sacerdote poenitentiam impleverint. Vide officium coronationis apud Graecos in Euchologio pag. 386 et notas Goarii, ibid. pag. 397 et officium in bigamos, ibid. pag. 403, contrariam nihilominus praxim aliquando obtinuisse testatur Nicetas metropolita Heracleensis in responsis ad interrogata Constantini Episcopi, apud Goarium, pag. 401, adversus quam corruptelam et abusum summo zelo insurrexit mox citatus Theodorus Studita. Denique bigamos etiam elemosyna Ecclesiae privatos fuisse, testatur paullo ante citatus S. Hieronymus epistola ad Ageruchiam.

4. Tertias imo et quartas nuptias nulla lex imperialis prohibuerat apud Graecos ante Basilium Macedonem nono saeculo: ipse quippe omnium primus tertias illicitas fecit, et quartas plane nullas et irritas sua Novella, quae extat, l. 2, juris orientalis, cujus hic est titulus: *Non licere ad quartas nuptias transire.* In ea refert Basilius: *Imperator, priscis scriptam legem fuisse, imo a Justiniano confirmatam, per quam usque ad quartas nuptias iis qui volunt Matrimonio protendantur, se vero, (ait) ne priscis legibus acquiescat, lege divina impediri: quapropter Matrimonium quartum ita vetare, ut etiam tertium ad ecclesiasticos canones ableget.* Tandem Constitutionem se Novellam ita concludit: *Manifestum omnibus esto, quod si quis ausus fuerit ad quartas nuptias non nuptias accedere, non solum pro nullis habebuntur hae nuptiae, nec liberi ex iis procreatis pro legitimis agnoscentur, verum etiam ipse poenis pollutorum scortationis sordibus subjicietur, ejusmodi videlicet personis a se invicem separatis.* Fallitur haud dubie ea

in Constitutione imperator, dum innuit lege divina tertias et quartas nuptias prohibitas esse.

Leo imperator, cognomento sapiens, Basilii filius, Constitutionem edidit in jure orientali 90, qua etiam statuit, ut qui *« tertias nuptias contrahunt, poenis ecclesiasticis subjiciantur. »* Verum qui haec sanxit imperator Leo, ait Baronius ad an. Christi 901, *« tertia defuncta, adhuc quartam uxorem accepit: »* cujus rei caussa a Nicolao Patriarcha ejectus fuit ab Ecclesia, et ipse vicissim imperator Nicolaum a sede sua pulsum in exilium amandavit, subrogato in ejus locum Euthymio; atque hinc turbae illae tum in imperio, tum in Ecclesia Constantinopolitana excitatae, aliis Nicolao, aliis Euthymio adhaerentibus. Haec fuse narrat Arcudius, de Matrimonio, l. 7, c. 29. Dissidium tandem indulta imperatori dispensatione composuit Joannes X, S. P. composuere et orientales Episcopi, ad Concilium jussu Constantini Leonis filii convocati, in quo nihil quidem de quarto Leonis Matrimonio edixere, sed pro futuro regulam et legem tulerunt sub hoc titulo, *Tomus unionis: « Sententia judicioque decernimus, inquit, ne ab hoc anno praesenti (qui est annus mundi reparati 925) quartas nuptias ullus contrahat, sed ut prorsus eae rejiciantur. Quod si quis ad ejusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni coetu ecclesiastico excludatur. »*

5. Apud Hispanos ex decreto Concilii Toletani XIII, an. 683, secundae nuptiae non permittebant reginis Hispaniarum: *« Nulli, inquit, Canon 5, licebit superstitem reginam sibi in conjugio ducere, non sordidis contactibus maculare. Non hoc secuturis regibus licitum, non cuiquam hominum licebit esse permissum. »* Deinde qui secus fecerit, ab omni christianorum communionem excluditur eodem Canone. Idem decretum confirmavit an. 691 Concilium Caesaraugustanum III, Canon. 5, atque ut faciliori negotio ad praxim reduceretur, statuit, ut deinceps *« relicta principis superiorem sententiam illibato animo pudice servans, statim accersito ab hoc saeculo principe, vestem saecularem deponat et alacri curiositate religionis habitum assumat. Confestim, inquit patres, in coenobio virginum mancipandam esse censemus. »*

Dura profecto disciplina, quae temporum lapsu non ita religiose fuit observata.

6. Denique jure ipso civili puniuntur viduae, quae ante elapsum

integrum ab obitu mariti annum ad alias convolant nuptias. Codice Teodosiano, l. 5, tit. 9, de secundis nuptiis, ita statuitur: «*Si qua ex foeminis perduto marito intra anni spatium alteri festinaverit nubere (parum enim temporis post decem menses servandum adjicimus, tametsi exiguum putemus) probrosis inusta notis, honestioris nobilisque personae, et decore et jure privetur, atque quae de prioris mariti bonis, vel jure sponsaliorum, vel judicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat; et sciat nec de nostra beneficio, vel adnotatione sibi esse subsidium.*» Quae lex Eucherio et Syagrio consulibus, hoc est, an. 381, lata est. Huic legi quoad foeminas subscribit Theodorus Cantuariensis Archiep. in selectis, tom. 9 Spicilegii, n. 72, subscripsit et Eghertus Eboracensis in suis Excerptis, cap. 116. Nihilominus Innocentius III, l. 4 Decretalium, titulo de secundis, nuptiis, cap. ultimo, declaravit: «*Viduam non debere legalis infamiae sustinere jacturam, quae licet post viri obitum intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium, nubat.*» Jam an. 1179 in Conc. III Lateranensi idem statuerat Alexander III: «*Per sententiam, inquit, et auctoritatem Apostoli infamia aboletur:*» ab ea nimirum muliere, quae, defuncto marito, intra tempus luctus alteri nubit.

Atque haec exponenda breviter habebamus circa disciplinam Ecclesiae spectantem secundas et posteriores nuptias; quae vero fuerit ejusdem Ecclesiae mens atque sententia circa bonitatem et honestatem earundem nuptiarum, tertia aperiet Conclusio.

TERTIA CONCLUSIO.

Ecclesia, quamquam secundas nuptias ut minus perfectas non suaserit, nec omnino probaverit, nusquam tamen ea pro noxiis, ac per se illicitis habuit, multo minus pro nullis et irritis.

Prima Conclusionis nostrae pars ex dictis Conclusionibus prima et secunda videtur manifesta.

Secunda vero pars

Probatur 1. ex Apostolo, Rom. 7, v. 3 et 3: «*Quae sub viro est mulier, inquit, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si*

fuert cum altero viro ; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro ; » et 1 Cor. 7, v. 39 : « *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino.* » Permittit igitur viduis S. Paulus ut cui voluerint nubant : at id proculdubio non permisisset si esset ex se malum et illicitum. Et rursus, v. 8 et 9 ejusdem capituli : « *Dico autem, inquit, non nuptis et viduis bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri.* » Continentiam, tamquam perfectionem suadet, et consulit ibi Apostolus, saepius tamen repetitum Matrimonium non damnat, sed permittit et indulget. Eodem pertinet quod Christus, Matt. 22, v. 23 et sequentibus, interrogatus a Sadducaeis de muliere quae successive septem viris nupserat, cujusnam uxor futura esset post resurrectionem, non negat aut licitam, aut validum fuisse septies repetitum conjugium, sed hoc unum respondit, v. 29. « *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur ; sed erunt sicut Angeli in coelo,* » quibus verbis significat Christus, nuptias toties repetitas non obstituras quominus ejusmodi multinubae coelorum regno potirentur, forentque similes Angelis. Ita locum hunc interpretatur S. Aug., lib. de bono viduitatis, c. 12.

Probatur 2. ex Ss. Patribus, tum graecis, tum latinis.

Ex Graecis :

S. Clemens Alexandrinus, l. 3 Stromatum : « *Monogamiam, inquit, et quae consistit in uno solum Matrimonio, honestatem admiramus, dicentes tamen oportere aliorum misereri, et alterum alterius onera portare... De secundis autem nuptiis, Si uraris, inquit Apostolus, jungere Matrimonio ; et postea : Si cui Apostolus propter intemperantiam, et unctionem ex venia secundum concedit Matrimonium, hic quoque non peccat quidem ex Testamento, non est enim lege prohibitus : non implet autem summam illam perfectionem, quae agitur ex Evangelio.* » Igitur teste sancto Clemente, secundae nuptiae per se illicitae non sunt ac prohibitae.

Antiquus liber Pastoris, cujus auctor dicitur Hermas, l. 2, mandato quarto secundas nuptias non rejicit ut malas et noxias, quam-

quam exoptaret ab illis abstinere christianus: «*Si vir, inquit, vel mulier decesserit, et nupserit aliquis illorum, numquid peccat? Qui nubit, non peccat, inquit, sed si per se manserit, magnum sibi conquirat honorem apud Dominum. Serva ergo castitatem et pudicitiam, et vives Deo.*» Hanc auctoritatem sibi proponit Tertullianus, lib. de pudicitia, c. 10, neque alia via illam elevat, quam quod liber ille Pastoris inter apochryphos, non vero agiographos recenseatur ab ipsismet orthodoxis. At saltem inde vetus pro re catholica, quam hic propugnamus, testimonium eruitur.

Patres Concilii generalis primi Nicaeni, num. 318, Can. 8, inter condiciones quas jubent a Novatianis redeuntibus ad unitatem Ecclesiae observari, haec una est, «*ut scripto profiteantur quod catholicae et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur; idest, et bigamis se communicare, et his qui in persecutione prolapsi sunt.*»

Concilium quoque Laodicenum, Can. 1, citato Conclusionem secundam, ultiores nuptias legitimas appellat.

S. Basilius, Can. 41, epistolae ad Amphilochem: «*Quae, inquit, in viduitate potestatem sui habet, et viro cohabitavit, ab omni accusatione libera est, si nemo est, qui conjugium divellat, cum Apostolus dicat: Si mortuus sit maritus, libera est ut nubat cui velit, tantum in Domino.*» Indefinite hic loquitur S. Doctor de vidua, quae mortuo suo priori marito alteri nubit, sive saepius repetitis nuptiis, nec, eo iudice, peccat ejusmodi vidua cum nubit, quamquam dissimulandum non sit, tertias magis quam secundas nuptias, S. Basilio displicere, ob quas graviolem imponit poenitentiam, non quidem propter ipsas praecise nuptias, sed propter majorem intemperantiam et affectum ad libidinem, quem illae praeserferre videntur.

S. Gregorius Nazianz., Orat. 59, quae est in sancta Lumina, Novatianum perstringens sic loquitur: «*An ne juvenibus quidem viduis, propter aetatis lubricum, ineundi Matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minime dubitavit; cujus te scilicet magistrum profiteris, perinde atque ad quartum coelum aliunquē paradisum perveneris At haec minime post baptismum, inquit. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba; aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas, et facilitas.*»

S. Jo. Chrysostomus, Hom. 19 in epistolam ad Corinth. : « *Secundum, inquit, concedit Apostolus Matrimonium, tantum, dicens, in Domino. Quid est autem, in Domino? cum temperantia, cum honestate.* » Aliud ex eodem S. Doctore testimonium laudavimus hic Conclusionem primam.

S. Epiphanius, haeresi 59, quae est Catharorum : « *Cui, inquit, mortua una non sufficit . . . is si alteram uxorem duxerit . . . sacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit.* » Et in Expositione fidei circa finem ritus Ecclesiae catholicae referens, sic loquitur : « *Post gradus illos, et ordines, suum quoque locum obtinent honestae nuptiae, quae magno in honore sunt: praesertim singulares ac minime repetitae, quae praeceptorum observationi student. Quod si quis mortua uxore, vel mulier mortuo viro id voluerit, alterum virum, uxoremque, dumtaxat post alterius obitum, sibi adsciscere licet.* »

Denique Theodoretus, ut multos alios sileam, l. 5, haeret. fabul. c. 26, expendens verba Apostoli, 1 Cor. 7 : « *Notandum est, inquit, quod non beatam, sed beatiorum eam dicat, quae se continet: ita docens, quod non omnino beatitudine sit destituta, quae secundum etiam Matrimonium amplectitur, si juxta positam hic legem jugum subeat.* »

Ex latinis vero SS. Patribus catholicum nostrum dogma confirmarunt :

S. Ambrosius, lib. de Viduis, c. 11.

S. Hieronymus jam laudata epistola ad Ageruchiam, et epist. 30, alias 50, quae apologia est ad Pammachium pro suis adversus Jovianum libris, sic loquitur : « *Aperiant, quaeso, aures obtreclatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino.* » Ibidem : « *Omnia licent, inquit, post Apostolum, sed non omnia expediunt. Non damno bigamos, imo nec trigamos, et, si dici potest, octogamos,* » etc. Idem probat historia quam refert illius mulieris, quae Romae vigesimum secundum duxisset maritum, de qua hic Conclusionem primam.

S. Aug., lib. de bono viduitatis, c. 11 et 12 : « *Ne arbitreris, inquit, vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias, cum sint nuptiae, malum esse. Non itaque illas a te damnatas velim esse, sed spreatas. Bonum ergo continentiae vidualis luculentius decet, cum pro illo vivendo et profitendo possunt contemnere feminae quod et libet et*

licet . . . De tertiis et quartis, et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde et breviter respondeam nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Ita S. Doctor, primam et tertiam nostram confirmat conclusionem.

Denique Eugenius IV S. P., in decreto pro instructione Armenorum, suo et totius Concilii nomine sic loquitur: «*Quoniam nonnullus asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putentur, cum, secundum Apostolum, mortuo viro mulier sit ab ejus lege soluta, et nubendi cui vult in Domino habeat facultatem; nec distinguat, mortuo primo, vel secundo, vel tertio: declaramus non solum secundas, sed etiam tertias et quartas, atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugio abstinentes in castitate permanserint: quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse censemus.*»

Probatum denique evidenti ratione: quia nullum proferri potest momentum, sive ex jure naturali, sive ex divino, quo pateat secundas et ulteriores nuptias, potius quam primas malas esse ac noxias. Ratio quippe a priori cur licitum sit Matrimonium, ista est, quod nempe sit unio soluti cum soluta, atque ad hanc actionem inclinet natura, ipso permittente jure divino: at vidua post mortem sui mariti libera est ac soluta, sive primus ille sit, sive secundus, sive tertius: ergo tam licite nubere potest secundo, tertio et ulterius, quam primo. Ita fere ratiocinatur S. Aug., lib. de bono viduitatis, c. 12.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. ex dictis hic Conclusionem secundam, Ecclesia secundo nubentibus poenitentiam, benedictionem et eleemosynam denegavit, irregulares etiam illos habuit ad ordines sacros: at haec severitate haud dubie demonstrat turpes, inhonestas ac malas Ecclesiae visas fuisse secundas nuptias, non enim imponitur poenitentia, nisi propter culpam et peccatum.

Resp. Neg. minor. Non enim, ut diximus supra, hac sua severitate perstrinxit ac notavit Ecclesia secundas nuptias, tamquam in

se malas et noxias, sed unam dumtaxat saepius nubentibus incontinentiam et impotentem libidinem. Caussam hanc et rationem designavit S. Hieronymus, epistola ad Ageruchiam hic Conclusionem primam citata. Eandem adducit Baronius ad ann. Christi 314, num. 91, et illustrissimus Huetius Origenianorum, lib. 1 : *« Malim fateri, inquit, talem fuisse ea aetate Ecclesiae severitatem et rigorem, ut licitas licet, aliquam tamen incontinentiae speciem praeseferentes nuptias secundas, non celebritate solam carere, eique presbyterum omnino non interesse, sed poenitentiae etiam impositione quodammodo notandum esse vellet. »* Et certe Canon Laodigenus Conclusionem secundam laudatus aliam interpretationem pati non potest. Duo enim simul ingerit, et secundas nuptias esse legitimas, et ipsos nubentes poenitentiae subjiendos esse : at poenitentia illa non imponitur praecise propter ipsasmet secundas nuptias, quas inde canon *legitimas* appellat; sequitur ergo ut imponatur propter incontinentiam nubentium. Hunc vero rigorem jamdiu relaxavit Ecclesia, suorum infirmitati consulens. Denegatae vero benedictionis secundo nubentibus peculiaris causa est, quam ex Alessandro IV S. P. nos supra, ubi de ministro Matrimonii adduximus.

Ad confirmationem vero objectionis, distinguo : poenitentia non imponitur nisi propter culpam, ortam ex intemperantia et incontinentia pluries nubentium, concedo : ortam ex ipsa praecise nuptiarum iterata celebratione, nego.

Objicies 2. plurima veterum testimonia, quibus secundas ut ultiores nuptias veluti totidem fornicationes et adulteria perstringunt ac damnant. Ita

Athenagoras legatione pro christianis ante finem : *« Vel ut natus est unusquisque nostrum, inquit, manet, vel unicis copulatus nuptiis, secundae quippe decorum quoddam sunt adulterium . . . »* Et paulo post *« Qui seipsum priori uxore privat, licet mortua, adulter est, quamquam dissimulanter transgrediens quidem manum ac opus Dei, quoniam a principio Deus virum unum et mulierem unam formavit. »*

S. Irenaeus, lib. 3 adversus haereses, cap. 17, alias 19 : *« Samaritanae illi, inquit, praevaticatrici, quae in uno viro non mansit, sed fornicata est in multis nuptiis. »*

S. Clemens Alexandrinus, lib. 3 Stromatum; «*Si quis, ait, matrimonium audet dicere fornicationem, rursus legem et Dominum insectans, maledictis impetit, Quemadmodum enim avaritia et plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quae adversatur sufficientiae; et ut idololatria est ex uno in multos Dei attributio, ita fornicatio est ab uno Matrimonio ad plura prolapsio.*

Origenes, Hom. 17 in Lucam: «*Postquam viduas adhortatus est, ut in viduitate permaneant, sic pergit. Nunc vero secundae et tertiae et quartae nuptiae, ut de pluribus taceam, reperiuntur; et non ignoramus quod tale conjugium ejicit nos de regno Dei. Sicut enim ab ecclesiasticis dignitatibus non solum fornicatio, sed et nuptiae repellunt, neque enim Episcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua possunt esse bigami: sic forsitan, et de costu primitivorum immaculatorumque Ecclesiae, quae non habet maculam neque rugam ejicietur bigamus: non quo in aeternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in regno Dei.*

S. Gregorius Nazianzenus, oratione 31 in illud Evangelii «*Cum consummasset Jesus hos sermones, expendens ista verba Apostoli ad Ephesios 5: «Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia,» sic loquitur: «Hac ratione secundas nuptias mihi deprecari videtur. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sunt et duae uxores; si autem unus Christus, unum Ecclesiae caput, una etiam caro sit, secunda autem respuitur. Quod si secundam prohibeat, de tertia quid dicendum est? Primum lex est, secundum venia et indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem hunc numerum excedit porcinius plane est, ut pote ne multa quidem vitii exempla habens.»* Igitur, jussu Sancto Gregorio Nazianzeno, tertiae nuptiae apertam continent iniquitatem, quartae vero et posteriores plane belluinae sunt ac porcinae.

S. Basilius, epistola canonica ad Amphilochem, can. 4: «*Trigamorum inquit, et polygamorum eundem canonem definiunt (nempe majores nostri) quem in bigamis pro proportione. Annum enim in bigamis, alii vero duos annos (penitentiae) trigamos autem saepe tribus et quatuor annis segregant. Id autem non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel potius castigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanae, quae quinque maritos jam habuerat: Quem nunc habes, inquit,, non est maritus; nempe, quod digni non sint, quia bigamiae*

mensura exciderunt, ut vel mariti vel uxoris nomine appellentur. Deinde qualis sit imponenda trigamis poenitentia, et qua ratione debeant ad communionem recipi, exponit verbis superius a nobis relatis Conclusionem secundam.

In hoc porro S. Doctoris testimonio observa 1. Doctorem non tam suae, quam Ecclesiae graecae, cujus doctrinam refert, loqui nomine *Definierunt*, inquit plurali numero, canones scilicet a majoribus sanciti, 2. ait trigamiam non esse conjugium, sed polygamiam aut potius castigatam fornicationem; atque tertium maritum similem esse sexto, quem habebat Samaritana: ille autem verus non erat maritus, sed adulter. 3. De quintis nuptiis omnino silet S. Basilius, non alia profecto de causa, quam quod inusitatae plane forent in Ecclesia Orientali, quas etiam civiles leges imperatorum prohibuerant.

Rursus ejusdem Epistolae, can. 50, *Trigamia*, inquit, lex non est. Quare lege tertium Matrimonium non approbatur. *Verumtamen ea ut Ecclesiae inquinamenta videmus; sed publicis condemnationibus non subjicimus, ut quae soluta ac profusa fornicatione sunt magis expetenda.* Audis tertias nuptias in mente S. Basilii sordes esse seu inquinamenta, et, ut dixerat canon. 4, *castigatam fornicationem*. Admonet hic Zonaras, Basilium cum ait nullam esse legem trigamiae, intelligi debere de lege ecclesiastica et spiritali, per Novellam enim Perphyrogenetae et imperatoris Constantini, tertiae nuptiae permissae erant, quamquam non sine aliqua nota et mulcta, ut observat idem Zonaras.

S. Jo. Chrysostomus, Homil. 52 Operis imperfecti in Matth.: *Apostoli, inquit, praeceperunt quidem secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominis; nam secundam quidem accipere, secundum praeceptum Apostoli est. Secundum veritatis autem rationem, vere fornicatio est: sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, sit honesta fornicatio.*

Denique inter Latinos omnium instar erit S. Hieron., l. enim 1. contra Jovinianum sic loquitur: *Quomodo virginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias Apostolus, et excusabile facit, quod per se non appetitur; ita ob eandem fornicationem vitandam concedit viduis secunda Matrimonia. Melius enim est licet alterum et tertium, unum virum nosse quam quamplurimos: id est tolerabilius est uni homini prostitu-*

tam esse, quam multis: siquidem et illa in Evangelio Samaritana sextum se maritum habere, dicens, arguitur a Domino, quod non sit vir ejus: ubi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit.» Secundum igitur maritum comparat S. Doctor illi sexto, quem habebat Samaritana: at iste verus ac legitimus non erat. Eamdem comparisonem adducit in Epistola ad Ageruchiam, ubi narrata historia hujus mulieris quae vigesimum secundum duxerat maritum, ei adaptat quod Christus Samaritanae dixit: «*Iste non est tuus.*» Inde est quod in Epistola ad Salvinam, secundas et posteriores nuptias appellat *bigamiae praecepta non bona, et justificationes pessimas.*» Et in Epistola jam citata ad Ageruchiam: «*Bigamia, inquit, in quo eris numero? immo extra numerum. Certe in bona terra non oritur, sed in vepribus... ut in ea se putat esse laudabilem, si scortis melior sit; si publicarum libidinum victimas superet, si uni sit prostituta non pluribus.*»

Resp. Duriora quidem haec veterum dicta, sed benigne exponenda. 1, ex aliis eorundem scriptorum verbis relatis; quibus aperte favent dogmati catholico; nisi velis eos sibi manifeste contrarios fuisse, quod de tantis viris suspicari nefas, 2, ex publica et ab omnibus orthodoxis recepta professione Ecclesiae, quae ad secundas et posteriores nuptias, suos admittebant, quos certe non admisisset, si illas velut noxias et per se malas habuisset: at verisimile non videtur, tot eximios Doctores in rebus religionis tam versatos, aut ignorasse, aut impugnare voluisse publicam Ecclesiae circa secundas nuptias fidem ac doctrinam. 3, ex consilio seu scopo illorum: toti scilicet in eo sunt, ut damnent incontinentiam et intemperantiam, ex qua ducuntur multi ut ad secundas et posteriores nuptias convolent, in qua redarguenda tanto ardoris impetu abrepti sunt aliquando, ut ipsamet in se ipsis nuptias culpasse visi fuerint. «*Vehe- mens quippe cum adversariis contentio,*» ait Theod. Dialog. 3, qui inscribitur, «*Impatibilis. facit ut modum excedant,*» quod familiari comparatione ibidem illustrat: «*Hoc, inquit, et evenire solent iis qui labores colunt. Cum enim incurvam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum statum perducatur.*» Ita evenit aliquando, ut dum ecclesiastici scriptores, toti

occupantur in aliquo errore refellendo, aestu disputationis longius abrepti nonnihil proferant, quod in errorem oppositum ducere videatur. Sic dum S. August. liberum arbitrium defendit contra Manichaeos, visus est aliquando vim et efficaciam gratiae elevasse cum Pelagianis : quamquam certissimum sit eum ab utroque extremo et vitioso errore fuisse alienum. Sicut igitur aequitas postulat, ut ea, si quae ipsi exciderit paullo duriora verba, benignius interpretemur ; ita in praesenti argumento pariter agendum, atque ad unam pluries nubentium incontinentiam et intemperantiam referendum, quidquid veteres de ipsis nuptiis pluries repetitis dixisse visi sunt, quas et adulteria et fornicationes et sordes appellant, non quidem propter seipsas nude, ac simpliciter spectatas, sed propter effusam nubentium incontinentiam, quae in nuptiis toties repetitis seipsam prodit et manifestat. Patebit id maxime singula, quae hic opponuntur, veterum testimonia propius inspicienti.

Athonagoras apologiam pro christianis apud imperatores dicens, ut dilueret falsam hanc gentilium accusationem, christianum scilicet in suis synaxibus nefandis voluptatibus operam dare, ostendit christianam institutionem tam alienam esse ab omni turpitudine ac immunditia, tamque temperantiae et continentiae amantem, ut etiam secundas nuptias dissuadeant, aliquam incontinentiae speciem redolentes : unde et eas *speciosum adulterium appellat*, dura profecto et maxime impropria loquendi ratione, at suo accomodata consilio, quae proinde ad apicem litterae urgeri hic non debet.

Responderi praeterea posset, loqui Athenagoram de iis secundis nuptiis, quae contrahebantur post repudiatam (ut moris erat apud Iudaeos) uxorem, quae profecto nuptiae verum ipsi videntur adulterium. Cum vero addit, eum qui se privat priori uxore, quamvis mortua, esse adulterium : sensus est non dissolvi crimen per mortem repudiatæ, sed cum qui uxorem dimiserit, aliamque duxerit, etiam si dimissa post repudium vivis excedat, nihilominus adulterum esse, nisi secundum illud conjugium renovetur et confirmetur post obitum prioris uxoris dimissæ.

S. Irenaei testimonium ex lib. 3, c. 19, « non est ad rem nostram praesentem : » mulier quippe illa Samaritana juxta multorum interpre-

tationem, veros ac legitimos non habuit maritos, sed adulteros aut concubinos; merito igitur Christus, Joan. 4, vers. 19, ipsi dicebat: « *Quinque viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir;* » at verus est maritus, sive secundus ille sit, sive tertius, etc., qui servatis Ecclesiae legibus nubit cum vidua.

S. Clemens Alexandrinus eo ipso sensu secundas et posteriores nuptias fornicationem appellat, quo et ipsam avaritiam ac idololatriam: « *At avaritia et idololatria improprie ac per metaphoram dicitur fornicatio;* » pariter igitur in mente sancti hujus Doctoris secundae et posteriores nuptiae fornicationis nomine improprie appellantur; ratione scilicet incontinentiae adjunctae.

Origenes, Homil. 17 in Lucam, per regnum Dei a quo bigamos excludit, non intelligit simpliciter vitam, formam, quae posita est in visione Dei clara et intuitiva, sed in sublimiorem quemdam felicitatis gradum, quo privandos fore bigamos existimat, utpote qui minus perfecti sunt: « *Puto, inquit eodem in loco, bigamum non esse de Ecclesia, et de eo numero qui non habent rugam aut maculam, sed esse de secundo gradu et de his qui invocant nomen Domini, et qui solvuntur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo.* » Se ipsum adhuc clarius exponit, Hom. 19 in Jerem.: « *Arbitror, inquit, omnem quicumque hujusmodi sequelam viderit, dicturum beatius quidem esse puritatem servare, et non ad secundas transire nuptias minime deceptam, et videre illam quoque quae bis nubit participem quidem esse salutis alicujus, non tamen tantae beatitudinis, quantae illa, quae colit puritatem.* » Adde quod citata Homil. 17 in Lucam, asserit Origenes, bigamos non esse mittendos in aeternum incendium; at si putasset secundas nuptias per se noxias esse, ac veri nominis fornicationem haud dubie aeterno supplicio dignos illos esse pronunciasset.

S. Gregorius Nazianzenus tertias, quartas et posteriores nuptias acrius reprehendit quam secundas, non praecise ratione sui, (eadem enim est ratio illorum omnium, si circa intrinsecam et substantialem nuptiarum bonitatem et honestatem attendatur, ut patet ex ipsomet Gregorio Nazianzeno, loco nuper probatione nostra Conclusionis citato) sed ratione incontinentiae et intemperantiae, quae longe major est ac porcinam indolem referre, melius videtur in tertiis, quartis

et ulterioribus nuptiis, quam in secundis: unde eas *iniquitatem* appellat non quidem in se, sed in causa, ex qua profluunt.

Non alio sensu exponendus venit S. Basilius quamquam non desint qui malint hunc ejus lapsum fateri potius, quum distorta explanatione mollire. Arcudius de Matrimonio, lib. 7, cap. 28, post relata S. Doctoris verba, ex Can. 4: «*Non adeo perspicere valeo ut trigamia sit fornicatio tantum non relaxata et libera, sed ad unius foeminae amplexus coarctata, et tamen non dissolvatur, sed peracta aliquot annorum poenitentia trigami admittantur ad participanda Ecclesiae sacramenta, cum interim simul habitent et procreant liberos. Si enim trigamia est fornicatio non potest Ecclesia Dei, ordinatissima sponsa Christi, quae sine ruga est, non habens maculam, ejusmodi peccatum permittere. Quod si permittit, igitur non est fornicatio; quippe fornicatio non est aliquid indifferens ut possit subire rationem boni et mali, sed si fornicatio est, semper mala est.*» Sic probat Arcudius in mente S. Basilii secundas nuptias proprie non esse fornicationem; alias sic conjunctos separandos esse censuisset, quos tamen non separat. Improprie igitur eas nuptias *sordes* appellat, et *inquinamenta*, nempe propter incontinentiam eorum, qui pluries nuptias appetunt.

Quae opponuntur ex Homil. 32. Operis imperfecti non sunt S. Chrysostomi, sed alicujus haeretici hominis: vel ipse locus unde petitur objectio, sufficeret explodendo huic scriptori, contendit enim secundum Matrimonium in rei veritate fornicationem esse; permittente tamen Domino illud esse licitum: quasi fornicatio quae per se ac intrinsece mala est, possit unquam a Deo permitti et licitam fieri. Apage ineptias illas.

Quo sensu exponi debeat S. Hieronymus abunde patet ex adductis ipsius testimoniis hic Conclusionem primam et tertiam.

De polygamia simultanea. An et quo jure illicita sit pluralitas uxorum simul. Status quaestionis ac variae sententiae exponuntur.

Distingui hic debet jus naturale divinum, et jus divinum positivum. Jus naturale dicitur quod est a natura, hoc est Deo naturae

auctore nobis insitum; unde naturale simul et divinum dicitur. Jus divinum positivum illud est, quod pendet a libera Dei voluntate aliquid prohibentis vel permittentis, estque nobis per Scripturam vel traditionem manifestatum.

Inter illa vero, quae jure naturali prohibentur, alia pertinent ad prima universalialia, et notissima principia, quae a nemine ignorantur, aut saltem non sine culpa ignorantur, cujusmodi sunt ista: « *Alteri nefeceris quod tibi fieri non vis. Non licet occidere innocentem. Non licet accedere ad uxorem proximi.* » Res hujusmodi intrinsecam et inseparabilem continent malitiam, qua fit ut nullo umquam bono fine cohonestari, et licite fieri possint. Alia vero pertinent ad remotiora quaedam principia, quae ex primis tamquam conclusiones derivantur, quae idcirco dicuntur repugnare juri naturali, quod naturae propensione, ac inclinationi minus sint consentanea. Istorum malitia non ita evidens est, omnibusque perspecta, quin possit invincibiliter ignorari: inde fit ut res hujusmodi, mutatis circumstantiis, rerum et personarum, dispensante legislatore licitae aliquando evadant.

Quaestio igitur est, an pluralitas uxorum simul eodem tempore illicita sit, et quo jure: an naturali divino primi vel secundi ordinis, sensu mox exposito, an divino tantum positivo veteri aut novo. Praecipua vero difficultas nascitur ex facto Ss. Patriarcharum, aliorumque justorum veteris Testamenti, quos certum est pluribus simul uxoribus junctos fuisse, quique aut violati juris naturalis, ac perpetui adulterii rei fuere, si uxorum pluralitas sit per se jure naturali prohibita; aut si a tali facinore excusandi sunt, dicendum erit, vel jure naturali non esse prohibitam pluritatem uxorum simul, et consequenter non peccasse, nec peccare, modo illos infideles, qui laborant ignorantia invincibili legis evangelicae, quique plures habuerunt vel habent uxores; vel saltem a Deo cum illis veteribus Patriarchis dispensatum esse. En praesentis argumenti angustiae.

Duo vero hic certa sunt et explorata apud omnes theologos;

Primum, nusquam licitum fuisse feminae plures simul habere viros; quia per se, ac directe istud pugnat contra primum Matrimonii finem, nempe filiorum procreationem. Ita S. Augustinus, l. de bono conjugali, c. 17, et l. 3 de doctrina christiana, c. 12.

Alterum pluralitatem uxorum non repugnare isti primario conjugiorum fini; quia nempe unus et idem vir sufficere potest pluribus filiis suscipiendis, alendis et educandis: an vero pugnet contra alios secundarios minus praecipuos fines Matrimonii, disputant inter se theologi.

Itaque circa propositam quaestionem,

1. Novatores inter se concordēs non sunt. Calvinus etenim tam stricto naturae jure illicitam et prohibitam existimat pluralitatem uxorum simul, ut veteres Patriarchas violati hac in parte juris naturalis ac adulterii reos traducere non vereatur. Lutherus contra jure naturali licitam esse arbitratur, imo nec evangelica lege sic damnatam, quin urgente gravi necessitate (quae legem nescit), permitti possit. Extat eam in rem famosa consultatio Lutheri, Melanthonis, et aliorum nonnullorum, data an. 1593, ad postulationem Philippi Landgravii Hassiae, quae aeternum erit praetensae religionis reformatae opprobrium: in ea quippe licentia fit huic principi, alteram, priori, adhuc vivente, ducere uxorem, quam de facto duxit. Lege, quae hae de re scripsit illustriss. Bossuetius, l. 6 Historiae variationum, p. 288 et seq. Luthero hac in parte adhaeserunt postea Anabaptistae.

2. Catholici non consentiunt inter se. Sent enim quibus placet pluralitatem uxorum simul legi naturali et finibus Matrimonii nullatenus repugnare, adeoque seclusa lege divina positiva, qua jam prohibetur, in se licitam esse; et consequenter veteres Patriarchas illaeso naturali jure, licite et absque ulla culpa, imo et sine dispensatione, quae necessaria non erat in lege veteri, plures uxores duxisse. Ita Durandus, in 4, dist. 35, qu. 4, Alphonsus Episcopus Abulensis, in cap. 19 in S. Matth., q. 30, ad quos accedit Maldonatus, de Matrimonio, p. 435.

Alii e contra existimant pluralitatem uxorum simul contrariam esse, non quidem primario, sed aliis secundariis minusque praecipuis conjugii finibus, atque ea ratione jure naturali prohiberi, neque licitam esse posse sine dispensatione Dei speciali, quae de facto veteribus Patriarchis concessa fuit: circa quam dispensationem adhuc varii varia sentiunt. Nonnullis enim videtur, singulos Patriarchas et alios omnes, quotquot pluribus simul uxoribus juncti sunt, speciali

revelatione indignis, qua intelligerent id sibi per divinam dispensationem licere: alii vero putant satis fuisse, si primis Patriarchis divina inspiratione innotuerit ea dispensatio. Rursus aliqui dispensationem hanc tantum cum populo Dei; alii vero cum omnibus gentibus factam esse volunt. Denique non desunt, quibus placet, veteres Patriarchas unicam dumtaxat habuisse uno et eodem tempore legitimam uxorem; ceteras vero uxores non fuisse, sed tantum concubinas. His praemissis, quae nostra sit et communior theologorum sententia, tribus sequentibus Conclusionibus aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Pluralitas uxorum simul repugnat primaevae institutioni Matrimonii, ejusque finibus saltem secundariis, estque naturali et divina lege prohibita.

Prima pars Conclusionis manifesta est ex prima institutione seu origine Matrimonii, quae refertur, c. 2 Gen., v. 22, 23 et 24: «*Edificavit Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*» Duorum porro in una carne conjunctio polygamiam excludit. Talem fuisse primitivam Matrimonii originem ipse Christus declarat, cap. 19 S. Matth., iis ipsis relatis Geneseos verbis, ex quibus ita concludit, v. 6: «*Itaque jam non sunt duo, sed una caro.*» Et vers. 8: «*Moses, inquit, ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.*» Hac ex genesi deprompta probatione utuntur inter veteres in primis Ss. Hieronymus, Jo. Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Anselmus in suis super, c. 19 S. Matthaei commentariis, et post eos Innocentius III, Extrav. *De divortii*, cap. *Gaudemus*, ubi data opera istud tractat argumentum.

Probatur 2. testimoniis veterum, qui ea ipsa de causa Lamechum tamquam adulterum, ac violatae Matrimonii institutionis reum accusant, quod omnium primus duas accepisset uxores.

Tertull. lib. de exhortatione castitatis, cap. 5: « *Homo Dei Adam, inquit, et mulier Dei Eva unis inter se nuptii functi, formam hominibus Dei, de originis auctoritate et prima Dei voluntate sanxerunt. Erunt duo, inquit, in carne una; non tres, neque quatuor: alioquin jam non una caro, nec duo in carne una Numerus Matrimonii a maledicto viro cepit Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.* » et l. 1 de Monogamia, c. 4: « *Semel tantum, inquit, vim passa institutio Dei per Lamech, constitit postea in finem usque gentis illius.* »

S. Hier., epist. 85, alias 9 ad Salvinam: « *Etiam, inquit, de paradiso expulsus Adam unam habuit uxorem. Primus Lamech, maledictus et sanguinarius, et de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas; et plantarium bigamiae protinus diluvii poena subvertit;* » et lib. 1 contra Jovinianum: « *Una costa, inquit, a principio in unam uxorem versa est: Et erunt duo in carne una, non tres, neque quatuor; alioquin jam non duo, sed plures. Primus Lamech, sanguinarius et homicida, unam carnem in duas divisit uxores: fratricidium et bigamiam eadem cataclysmi delevit poena. De altero septies; de altero septuagesies septies vindicatum est. Quantum distant in numero, tantum et in crimine.* »

Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum, n. 51, postquam Scripturae testimoniis probavit uxorum pluralitatem nec ipsa origine humanae conditionis admissam fuisse, nec ab ulla christianorum lege permissam, sic prosequitur: « *Hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit septima generatio cataclysmo vindicatum fuerit; adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, non nisi sanguine Christi aboletum extiterit, qui septima et septuagesima generatione secundam Evangelium luxerit in mundum.* » Parum abest quin S. Ambrosius Abraham patriarcham ejusdem criminis accuset, ob plures, quas duxerat, uxores, lib. 1 de Abraham, cap. 4, sed de illo Conclusionem secundam.

Secunda pars Conclusionis, nempe pluralitatem uxorum repugnare secundariis saltem Matrimonii finibus, et ea de causa lege naturali divina prohiberi, late probatur contra Durandum a Bellarmino, lib. 1 de Matrimonio, c. 10, Estius in 4, dist. 53, §. 1.

1. Quia conjuges pares sunt in iis quae ad conjugalem thorum pertinent; atqui mulieri non permittitur plures simul habere viros: ergo nec viro plures simul habere uxores: et quamvis par non sit utriusque ratio ex parte procreationis prolis, cum vir possit eodem tempore plures uxores foecundare, non vero mulier a pluribus foecundari, ut ait S. Aug., lib. de bono conjugali, cap. 17, subsistit tamen paritas ex parte joris matrimonialis: quia sicut corpus uxoris est in potestate viri, ita pariter corpus viri est in potestate uxori; et proinde tam uxori, quam viro fit injuria, cum alterutrius corpus cuicumque alteri traditur.

2. Inter fines Matrimonii computari haud dubie debent, animorum intima conjunctio, individuae vitae societas, pax et tranquillitas in re familiari, filiorum liberalis educatio: at quantum ab his finibus avertat uxorum simul pluralitas, quis non intelligat? Difficile quippe est, ut omnes suas uxores aequali amore vir diligat: si tamen non fecerit, quae inde rixae, quae contentiones, quae invidia et zelotypia inter ipsas ejusdem viri uxores? Exemplo esse possunt Sara et Agar, Lia et Rachel, inter quas quae discordiae intercesserint non dissimulat Scriptura, Gen. 16 et 30. Difficile pariter est, ut in educandis filiis et alendis non aliqua sit praedilectio et distinctio; unaquaeque enim uxor suos proprios filios, magis quam alterius, diligit et curabit; atque inde odia domestica, et dissidia intestina, quae pacem familiarum conturbant, ex quo necesse foret conjuges vitam amarissimam trahere.

3. Denique pluralitas uxorum simul repugnat sacramentali significationi, quae Matrimonio inest, nempe significat unionem Christi cum Ecclesia: ut unus Christus unam sponsam duxit Ecclesiam.

Dices: Testantur inter veteres Ss. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, pluralitatem uxorum simul nulla prorsus lege prohibitam fuisse Judaeis.

S. Hier., epist. 82, alias 83 ad Oceanum: «*Sciebat (Apostolus) inquit, lege concessum, et exemplo Patriarcharum, ac Moysi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos exigere.*»

S. Aug., lib. 22 contra Faustum, c. 57: «*Peccata, alia sunt contra naturam, inquit, alia contra mores, alia contra praecepta. Quae cum*

ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus uxoribus simul habitis objicitur sancto viro Jacobi? Si naturam consulas, non lasciviendi sed gignendi causa illis mulieribus utebatur: si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur, si praeceptum nulla lege prohibebatur; et lib. de bono conjugali, c. 17: *«Plures foeminas, inquit, uni viro legimus, cum gentis illius (judaicae) societas finebat, et temporis ratio suadebat: neque enim contra naturam nuptiarum est;»* et l. 1 de nuptiis et concup., cap. 9, ait: *«Magis pertinere ad bonum nuptiarum, si unus et una, quam si unus et multae jungantur.»* Quibus verbis innuit S. Doctor, retineri adhuc nuptiarum bonum, tametsi minus, si unus pluribus uxoribus copuletur.

Theodoretus denique, qu. 67 in Gen., pluralitatem uxorum ab omni culpa excusans in Abrahamo, docet, *«unumquodque opus judicari debere ex intentione facientis;»* adeoque non peccasse Abrahamum, qui non libidinis, sed prolis desiderio, ipsa exhortante Sara, conjunctus est cum Agar: *«Maxime, ait Theodoretus, cum neque natura, neque lex ulla tum scripta plures ducere uxores prohiberet.»*

Respondet Estius, in 4, dist. 33, §. 6, S. Augustinum aliquando de polygamia tamquam licita, velut de re perplexa, obscurius loquutum fuisse; quamquam eam nusquam defenderit ut simpliciter licitam, imo improbaverit magis, lib. 1 de nuptiis, et concup., cap. 9 et l. 1 de adulterinis conjugiiis, cap. 8 et 11. Cum itaque loco in objectione citato ait eam nulla lege prohibitam fuisse, legem intelligit positivam: re vera enim nulla extat; imo consuetudo contraria invaluerat apud Judaeos, ipso dispensante Deo. Cum vero addit polygamiam illam non esse *contra naturam nuptiarum*, intelligit primarium nuptiarum finem scilicet prolis generationem, non vero alios saltem secundarios fines. Seipsum exponit, citato c. 17, l. de bono conjugali: *«Plures enim foeminae, inquit, ab uno viro foetari possunt, una vero a pluribus non potest.»* Denique cum ait, *«majus esse bonum Matrimonii, si unus uni copuletur;»* *«impropria comparatio est, inquit Estius, qualis fieri solet inter bonum et malum, in quo tamen hoc spectasse videtur Augustinus, quod unius cum pluribus conjunctio bonum aliquod adferat, quod in conjunctione unius cum una perinde non reperitur, videlicet numerosior proles, quae causa fuit dispensandi cum veteri populo. Nam si nullum ibi*

fuisse bonum peculiare, dispensatio praeter legem communem locum non habuisset.

Eadem est ad S. Hieronymi et Theodoretum textum responsio.

SECUNDA CONCLUSIO.

Veteres Patriarchae, et alii in lege mosaica, Deo dispensante, plures simul veras absque ulla culpa duxerunt uxores.

Duo hic tamquam certa et explorata apud omnes supponimus, magis quam probamus: primum, veteres Patriarchas, Abrahamum, Jacobum, Davidem, etc., plures simul habuisse uxores: alterum, eos hac in parte nihil peccasse, nec in reprehensionem venisse.

Unde igitur, inquires, fieri potuit licite et absque culpa, quod modo dicebamus adversari primaevae Matrimonii institutioni, ac lege divina naturali prohiberi? Quomodo cohaerent ista secum invicem?

Respondeo, per divinam oeconomiam ac dispensationem licitam fuisse hanc uxorum apud veteres pluralitatem: cum enim non sit intrinsece ac per se opposita primario fini conjugii, nempe susceptioni prolis, sed tantum aliis remotioribus et secundariis ejusdem finibus, expedit aliquando istos praetermitti, ut alter certius et uberius obtineatur; atque per divinam dispensationem licitum esse potest, quod, ea sublata, foret illicitum.

Dispensationem hanc Dei agnoscunt veteres:

S. Aug. iis omnibus locis, quibus affirmat non peccasse veteres, quando plures sibi copularunt uxores. Ita, lib. 22 contra Faustum, c. 47. et lib. de bono conjugali, c. 17, et l. 3 de doctrina christiana, c. 12, ubi consuetudinem veterum plures ducendi uxores inculpabilem appellat; et quidem conditioni illorum temporum congruentem, ait c. 17 libri de bono conjugali; quia nempe pluralitatem hanc exigebat tunc temporis humani generis propagatio.

S. Ambr., lib. 4 de Abraham, c. 4, ait, conjugium Abrahae cum Agar, non fuisse peccatum, sed *mysterium*, eo quod Deus id fieri voluerit ad futurum aliquid significandum.

S. Jo. Chryst., Hom. 56 in Gen., loquens de facto Jacob, qui duas

sibi assumpsit uxores : « *Audiens, inquit, eum accepisse majorem natu et postea minorem, ne turberis ; neque secundum statum, qui nunc est, opera quae tunc facta sunt, judices. Tunc enim quia principia erant, permissum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc vero quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, virtus quoque incrementum accepit ; adveniens enim Christus, et virtutem in hominibus plantans, Angelosque, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem delevit.* »

Innoc. III, cap. *Gaudemus, de Divortiis*, omnium dissertissime Conclusionem nostram confirmat his verbis : « *Nulli nunquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum . . . sicut Jacob a mendacio, Israelitae a furto, Samsom ab homicidio, sic et Patriarchae, et alii viri justii, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.* »

Quaeres 1. an et quo in loco Scripturae legatur haec Dei dispensatio ?

Resp. 1. necesse non esse ut conceptis terminis expressa illa sit in Scripturis : ex facto enim ipso Patriarcharum, jus, ut ita dicam, hic nascitur ; ac licite factum ex divina dispensatione credimus, quia legimus factum, nec reprehensum.

Resp. 2. hujus dispensationis vestigium colligi posse ex cap. 21 Gen., v. 12, ubi Dominus ad Abraham ait : « *Omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* » Cum ergo Sara, c. 16 Gen., v. 2, dixerit Abrahamo marito suo : « *Ingredere ad ancillam meam Agar, si forte saltem ex illa suscipias filios :* » hinc sic arguimus : Quemadmodum peculiari revelatione admonitus fuit Abraham, ut ad petitionem et instantiam Sarae ancillam Agar cum filio suo Ismael dimitteret, quamvis istud durum ipsi videretur ac naturae repugnans, dicente Scriptura, Gen. 21, v. 11 : « *Dure accepit hoc Abraham pro filio suo ;* » ita eum jam antea admonitum fuisse oportet, ut in Agar sibi Matrimonio copulanda ejusdem Sarae petitioni obsequeretur, quamvis non ignoraret istud quodammodo naturae legi adversari.

Quaeres 2. an necesse fuerit singulis Patriarchis, ceterisque veteribus singularem fieri revelationem.

Resp. negative; sufficiens quippe fuit semel Abrahamo facta revelatio, cujus subinde exemplo caeteri idem sibi licitum esse intellexerunt.

Quaeres 3. an haec dispensatio non tantum Patriarchas, sed etiam Judaeos omnes spectaret.

Resp. affirmative. Tum quia Deut. 21, v. 15, Deus per Moysen ait: «*Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et aliam odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios dividere non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae.*» Videtur ea lege supponere Moyses, communem ac promulgatam fuisse apud Judaeos consuetudinem plures simul ducendi uxores. Tum quia Prophetarum nullus polygamiam hanc tamquam facinus redarguit, et objecit genti judaicae.

Quaeres 4. an ad ipsos quoque gentiles pertineret haec dispensatio.

Negat Estius, in 4, dist. 33, q. 6. Affirmat e contra Bellarm., l. 1 de Matrim., c. 11, propos. 5, his momentis nixus, 1. quia Scriptura narrat non solum Abraham et Jacob, eorumque posteros, sed etiam Esau, qui ad populum Dei non pertinebat, multas duxisse uxores, nec tamen eam ob causam in reprehensionem venisse; 2. quia nusquam Esther pia virgo passa fuisset se Assuero regi infideli jam habenti uxorem, in Matrimonium conjungi, neque talis conjugii contrahendi Mardocheus vir Deum timens ei auctor fuisset, nisi certum fuisset ac pervulgatum, etiam apud infideles, licitam tunc temporis fuisse uxorum pluralitatem; 3. quia S. Aug., lib. 16 de Civit. Dei, cap. 38, et l. 22 contra Faustum, c. 37, loquens de Jacob, qui in Mesopotamia, terra Gentilium, ex Laban idololatra duas filias sibi in uxores assumpsit, ait id licite ab eo factum, propter eum, qui tunc vigeat, morem inculpabilem: «*Quando mos erat, inquit, peccatum non erat: et nunc propterea crimen est, quia mos non est.*»

Quaeres 5. quae fuerit causa dispensandi cum Abrahamo, ceterisque qui post diluvium vixere.

Resp. duplicem fuisse, 1. ad multiplicationem generis humani: «*Eo tempore, ait, S. Aug., lib. 16 de Civit. Dei, c. 38, multiplicandae posteritatis causa multas uxores habere lex nulla prohibebat;* 2. ad significationem aliquorum mysteriorum. Ita S. Paulus, Galat. 4, per

duas Abrahae uxores mysterium aliquod significatum fuisse affirmat. S. Aug., disputans contra Faustum, et tract. 11 in Joann., exponit quid significatum fuerit per quatuor uxores Jacob.

Quaeres 6. an dispensatum pariter fuerit cum patribus, qui ante diluvium vixere.

Resp. negative : quia nullus justorum ante diluvium legitur plures accepisse uxores : omnium primus Lamech id attentavit, non sine gravi culpa et reprehensione. Neque ratio ex multiplicatione generis humani ducta hic urget, eo quod longaeva hominum vita sufficebat multiplici proli suscipiendae. Ita fere S. Jo. Chrysost., hom. 55, in Genesim.

Dices 1. communis est theologorum sententia, Deum non posse dispensare in lege naturali : atqui ex dictis Conclusionem prima, pluralitas uxorum repugnat legi naturali : ergo, etc.

Resp. dist. maj., Deus dispensare non potest in lege naturali, quoad prima et universalia ejus principia, et res illas quae intrinsecam habent ac inseparabilem malitiam, concedo : quoad alia remotiora, quae in se intrinsece mala non sunt, nec directe pugnant cum primario naturae fine, sed quae solummodo minus consentanea sunt inclinationi naturae, nego. Sunt itaque nonnulla ita per se injusta et mala, ut legitimam dispensationem admittere nusquam valeant : talis est, v. gr., idololatria, adulterium, etc. Ratio a priori est, quod turpitude et malitia rerum hujuscemodi non subest Dei dominio ; etenim seposita etiam ac praecisa divina prohibitionem, malae sunt in se ac prohibitae. Alia vero sunt, quae natura prohibet quidem, sed quae cum intrinsecam et inseparabilem non contineant malitiam, mutatis circumstantiis personarum et temporum, accedente divina dispensatione, licite fieri possunt. Ex earum rerum numero est uxorum pluralitas, « *Quae, ait, S. Thom., in 4, dist. 33, q. 1, non pertinet ad primaria, sed ad secundaria dumtaxat naturae praecepta.* » Talis quoque est maritalis conjunctio intre fratres et uxores, quam prohibet quidem natura, sed quam necessitas et conditio primae creationis hominum, licitam reddit ; multiplicari enim aliter non potuit genus humanum, quam si primis illis initiis sorores cum fratribus Matrimonio jungerentur. Materia hujusmodi praeceptorum naturae talis est, ut turpitude

ejus et honestas pendeat ex dominio Dei, unde dispensationem potest admittere. Ratio est, juxta Suarez, l. 2 de Legibus, cap. 15, n. 28, quia omnia praecepta quae fundant obligationem suam in humano consensu et contractu, pendent etiam a dominio divino: ex quo fit, ut mutabilitatem pati possint ex parte materiae, et dispensationem ex parte Dei, qui supremus est dominus: at Matrimonium pendet ex humano contractu: ergo divino subjacet dominio; ergo potest Deus absolute, ait idem Suarez, eodem lib., c. 14, n. 20, solvere vinculum Matrimonii, quia in ejus solutione non occurrit intrinseca et inseparabilis malitia, nisi cum sit privata auctoritate, sine legitima dispensatione. Pariter uxorum simul pluralitas non est intrinseca ac per se mala, quia, ut dictum est non semel, non adversatur primario bono seu fini nuptiarum; est tamen aliquo sensu contraria naturae legi et inclinationi, unde fit ut sola Dei auctoritate, non privata uniuscujusque, licita evadere possit.

Dices 2. nonnulli ex veteribus improbant pluralitatem uxorum in Abraham et aliis, et adulterium fuisse, licet excusatione et venia dignum, affirmant. Ita

S. Ambrosius, lib. 1 de Abraham, c. 4, pro defensione Abrahae qui, vivente Sara uxore, filium ex ancilla quaesivit, haec adducit: 1. *Adulterium tunc temporis nondum lege prohibitum fuisse; 2. quod amore posteritatis, non amore libidinis id fecerit, et de consensu uxoris, ac tandem rei hujus poenitentiam egerit; 3. quod id fecerit in significationem et figuram rei futurae, juxta Apostolum, Galat. 4.*

S. Aug., lib. 2 contra adversarium legis et Prophetarum, cap. 9, et l. 22, contra Faustum, c. 30, et lib. 16 de Civ. Dei, c. 25, idem crimen quod Abrahae Manichaei objiciebant, excusat hac dumtaxat ratione: *«Quod non libidine, sed prolis gratia, idque uxore cogente fecerit.»* Potuisset autem uno verbo crimen diluere, si persuasum hubuisset S. Doctor Agar veram fuisse Abrahami uxorem.

Euthymius quoque Commentario in illud Joan. 8: *«Nos, ajunt Judaei, ex fornicatione non sumus nati,»* dicit, Judaeos his verbis significare voluisse, se non descendere ex Agar concubina Abrahae, cui nimirum per fornicationem junctus ille fuerat, atque Ismaelem suscepit, sed ex legitima ejus uxore, nempe Sara.

Resp. S. Ambrosium in defendenda S. Patriarchae polygamia incertum ac dubium fuisse aliquando; atque inter rationes varias, quas in ipsius gratiam excogitavit, ea certo rejici debet, qua videtur innuere tunc temporis adulterium lege prohibitum non fuisse: nisi forte velis illum loqui non de adulterio ipso, sed de poena per legem adulteris imposita, quae per Moysen determinata primo fuit; adulterium quippe lege naturali omnino prohibitum, eamque legem a nemine invincibiliter posse ignorari, agnoscit ipse S. Ambr., eodem l., c. 11. In ultima igitur, quam adducit, ratione veram posuit Abrahami defensionem, scilicet ipsius cum Agar conjugium non fuisse peccatum, sed mysterium.

S. Aug. locis citatis non dicit Agar non fuisse uxorem, aut conjunctionem Abrahami cum ipsa fuisse adulterium, sed tantum ait; eum non peccasse per libidinem, quia ob amorem dumtaxat prolis, et ex consensu Sarae aliam mulierem cognovit. Hac una responsione contentus tunc fuit S. Doctor, quia accommoda erat, et sufficiebat refellendis Manichaeis. Objiciebant scilicet isti Patriarcharum libidinem, ac petulantiam in pluribus ducendis uxoribus, quibus reponit S. Doctor sanctos illos viros *«non lubrico carnis, sed amore posteritatis ad multas accessisse uxores.»* L. vero 16 de Civit. Dei, cap. 38, aperte scripsit: *«Jacob Patriarcham quatuor habuisse uxores, quia eo tempore nulla lex id prohibebat;»* et l. 22, contra Faustum, cap. 47, dixit: *«Eo tempore id non fuisse contra leges, neque contra consuetudinem; et ideo licitum.»*

Eutymius Judaeorum interpretationem adducit, de qua multum solliciti non sumus: quo vero sensu debeant intelligi citata S. Joannis verba, mox patebit.

Dices 3. necesse non videtur recurrere ad divinam dispensationem, ut excusetur veterum Patriarcharum poligamia: dici quippe non immerito potest, inter multas illas mulieres, quas in consortium thori veteres illi admittebant, unicam dumtaxat fuisse legitimam uxorem, caeteras vero concubinas: sic enim eas passim nuncupat Scriptura, Gen. 25, v. 6: *«Dedit Abraham cuncta quae possidebat Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera.»* Ita Salomoni plurimas fuisse concubinas legimus. Sensum hunc indicare videntur Judaei

apud S. Joann., c. 8, n. 41, cum ajunt: «*Nos ex fornicatione non sumus nati:*» hoc est, non descendimus ex Agar Abrahae concubina, sed ex Sara legitima illius uxore. Idem sentire videtur S. Leo, ep. 2, alias 92, ad Rusticum Narbonensem, cap. 4, ubi distinguit inter uxorem et concubinam, ac docet concubinam non esse veram uxorem, itaut si quis habens concubinam ducat aliam in uxorem, non censeatur ille duplicare conjugium; quod ut probet, adducit exemplum Sarae et Agar.

Resp. hac ratione, si concubinae nomen juxta vulgarem sensum usurpetur magis gravari Patriarcharum culpam, quam excusari: siquidem rei traducuntur fornicationis, imo et adulterii, utpote qui ad alienas accesserint mulieres, contra legem Matrimonii, quo alligati erant cum legitima uxore.

Dico igitur 1. concubinae nomen aliquando, ac fere semper, apud nos aliquid turpe et inhonestum significare, vagum scilicet et omni lege solutum cum muliere concubitum, qui Romanis aliquando legibus permissus fuit, sed apud christianos semper prohibitus. De discrimine concubinae et legitimae uxoris in ipso jure civili, consule Pontium, lib. 7 de Matrim., c. 54, n. 2.

Dico 2, concubinae nomen pro legitima uxore usurpari aliquando, quamquam inferiori et minori cum solemnitate ducta: atque hoc sensu exponi debet canon 17 Concilii primi Toletani, in quo statuitur: «*Ut qui uxorem non habet, sed pro uxore concubinam, a communione non repellatur.*» Si enim per concubinam Synodus intelligeret meretricem, haud dubie repelleret a communione. «*Per concubinam, ait in hunc canonem Binius, intellige uxorem sine dote et externa solemnitate, interventu consensus mutui perpetuo convivendi ductam Ad quod genus uxorum seu concubinarum referendum est, quod scribit B. Aug. lib. de bono conjugali, et refertur, Can. Solet, caussa 32, q. 2, in quibus haec tria erant necessaria: Primum, ut uterque esset solutus (loquitur S. Doctor de tempore legis evangelicae). Secundum, ut daretur mutua fides, quod alteri non conjungerentur, neque a procreatione prolis abhorrerent. Tertium, ut usque ad mortem in ea vitae conjunctione manere proponerent. Hunc contractum nuptias et connubium dici posse concedit S. Augustinus: hoc connubio aliqui junctam*

uxorem appellare non audent, quia non intervenerunt dotalia instrumenta jure civili et canonico requisita ad hoc, ut sit legitima uxor.» His concinit Gratianus ad finem canonis *Omnibus*, dist. 34, ubi sic loquitur: «*Concubina hic ea intelligitur, quae cessantibus legalibus instrumentis unita est, et conjugali affectu ascicitur: hanc conjugem facit affectus; concubina vero lex nominat.*»

Quamquam igitur in Scripturis nonnullae mulieres appellentur concubinae, veras tamen fuisse uxores certum esse debet. Sic Agar, Cethura, Bala et Zelpha, modo uxores dicuntur, modo concubinae, Gen. 16, 28, 30, 35, et lib. 1 Paralip., c. 4; idemque de concubinis Davidis et Salomonis sentiendum est. Et Judicum 19, conjux Levitae unica, nunc uxor, nunc concubina vocatur. Non minus certum, Saram, Rebeccam, Liam, Rachelem, uxores tantum, et non concubinas appellari. Erat igitur istud discrimen inter eas mulieres quae uxores, et, quae concubinae vocantur, quod etsi concubinae verae forent uxores, minori tamen cum solemnitate ducerentur, nec in omnibus, sive bonis, sive honoribus, per tabulas matrimoniales aequales fierent uxori praecipuae, nec earum filii ad haereditatem vocarentur paternam, sed nonnulla dumtaxat legata ab iis acciperent, ut patet ex cap. 25 Gen., quod denique velut ancillae haberentur, ad suscipiendam dumtaxat prolem in thorum conjugalem admissae. Sic Gen. 21, v. 10, de Agar dicitur: «*Ejice ancillam et filium ejus, non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae.*»

Laudatus igitur textus S. Joannis intelligi debet de fornicatione spirituali, quae est idololatria: haec quippe in Scripturis frequenter appellatur fornicatio: quae sensum postulat loci circumstantia; praecedit enim istud: «*Pater noster Abraham est:*» sequitur vero proxime: «*Unum patrem habemus Deum:*» quasi dicerent Judaei: «*Nos non descendimus ex gentibus idololatriis, quae cum multis diis fornicantur, sed ex Patriarchis unius Dei cultoribus.*»

Ad S. Leonem multi respondent eum hic deserendum, cum existimat Agar non fuisse uxorem Abrahae. Bellarminus, de Matrimonio, cap. 11, sic respondet: «*Quoad S. Leonem, inquit, pertinet, distinguit ille uxorem a concubina, et liberam ab ancilla; et concubinam ita accipit, ut ea non vera uxor intelligatur: sed cum exemplum adfert Sarae*

et Agar, de libera et ancilla loquitur. Neque necessario sequitur, ut velit esse omnino eandem, ancillam et concubinam, liberam et uxorem: nam et multae sunt concubinae, quae tamen sunt liberae; et multae sunt ancillae, et tamen uxores. Quare ad exempli a S. Leone allati veritatem, satis est, si Agar ancilla fuit Abrahae, quod est verissimum: non autem necesse est, ut eadem uxor non fuerit. Fateor tamen, pergit Bellarminus, Leonem obscuris et duriuscule loqui. Unde l. 2, de Conciliis, c. 8: *«Cum explicarem, inquit, canonem 17, Conc. Toletani I, dixi: Agar ex sententia S. Leonis non fuisse veram Abrahae uxorem, sed concubinam tantum; secutus nimirum Glossam in Canonem. Non omnis, caussa 521, q. 2, sed in re dubia pium existimo Leonem exponere, ut jam feci.»* Ita Bellarminus.

Dices 4. si licitum fuit veteribus plures habere uxores, quare eam ipsam ob causam reprehenditur Salomon, 3 Regum, c. 11.

Resp. non in eo praecise peccasse Salomonem, quod plures habuerit uxores; sed quod contra legem Dei junctus fuerit cum gentilibus et alienae religionis uxoribus, quarum impotente amore ita obcaecatus fuit, ut falsis diis etiam thus adoleverit.

TERTIA CONCLUSIO.

Christus in lege nova Matrimonium ad primaevam suam revocans originem, dispensationem veteribus datam plane revocavit, atque conjunctionem cum pluribus simul uxoribus illicitam fegit et irritam.

Probat ex Scriptura, Matth. 19, v. 3 et seq. Christus a Pharisaeis interrogatus, an liceret homini dimittere uxorem suam, sic respondet: *«Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculinum et foeminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.*

Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur. Ex quibus Christi verbis ista certa et explorata haberi debent: 1. Matrimonium in sua prima institutione esse unius cum una. 2. Moysen ad duritiem cordis permisisse libellum repudiij. 3. Non licere dimittere uxorem, nisi propter fornicationem; quae dimissio quoad thorum debet intelligi, non quoad vinculum, sicut patebit ex dicendis inferius. 4. Denique, eum, qui, dimissa uxore alteram ducit, moechari. Porro si adulter est, qui, dimissa uxore, cum altera copulatur, quanto magis qui, sua retenta priori uxore, ad alteram accedit? Idem repetit Marci 10, vers. 11 et 12, cum hoc solum discrimine, quod nulla exceptio fornicationis adjiciatur, simpliciter enim dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.*

Hanc Christi doctrinam apertissime declaravit Apostolus, 1, Cor. 7, v. 10: *His, autem, inquit, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et Rom. 7, v. 2 et 3, generatim sic pronunciat: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi, etc. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro;* quibus certe testimoniis compertum est, non tantum illicitam, sed etiam ompino irritam esse conjunctionem viri cum secunda uxore, priori adhuc vivente. Ad confirmandam eandem fidem faciunt testimonia veterum, quae Conclusionem prima laudavimus, quibus accedunt.

Can. 7 Concilii Milevitani II, quo dicitur: *Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur.*

S. Ambr., l. 1 de Abraham, c. 7: *Non licet tibi, inquit, uxore vivente, ducere aliam: nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterij.*

S. Aug., lib. 2, de adulterinis conjugijs, cap. 4, post relata haec verba Apostoli, Rom. 7: *Quae sub viro est mulier,* etc., sic pergit:

« *Haec verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non si fornicetur.* »

Innoc. I, epistola 3 ad Exuperium, c. 6. ex his Christi verbis Matth. 19: « *Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur etc., colligit manifestum esse eos, qui interveniente repudia, vel uxore vivente, quomvis dissociatum videatur esse conjugium, alii se Matrimonio cupularunt adulteros esse.* » Eandem ab eadem causam ibidem summus Pontifex, Epistola 9, respondet, invalidum esse Matrimonium ejus, qui falso putans uxorem esse mortuam, cum alia contraxerat. « *Quia, inquit, fide catholica suffragante, illud est conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum; conventumque secundae mulieris, priori superstite, nullo modo potest esse legitimum.* »

Nicolaus I, in Responsis ad consulta Bulgarorum, c. 51: « *Duas, inquit, tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit.* »

Innoc. III, cap. *Gaudemus, de divortiiis*, ait: « *Hoc absonum videri, et inimicum fidei christianae (nempe unum virum pluribus simul uxoribus conjungi) cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa: et Scriptura divina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* » Ponderat ibi S. Pontifex non dixisse Scripturam: *tres, vel plures, sed duos*; neque pariter dixisse: *adhaerebit uxoribus, sed uxori*.

Alexander III, cap. *Licet, De sponsa duorum*, respondet eum qui per verba de praesenti contraxit cum una, posteaque alteri nupsit, « *etiamsi copulam cum ista habuerit, debere tamen ab illa separari,* » ac compelli ut ad priorem redeat, veluti solam legitimam uxorem.

Inde merito Conc. Trid., sess. 24, can. 2, sic statuit: « *Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege diuina esse prohibitum; anathema sit.* » Ferit ille Canon Lutherum, qui commentario in c. 16 Geneseos scripserat, non esse prohibitum plures simul habere uxores, exemplo Abrahae: « *Quia patrum exempla, inquebat, sunt adhuc libera, seque illam consuetudinem neque introducere velle, neque improbare posse asseverabat.* »

Quaeres, an ista Christi lege teneantur non tantum christiani, sed quicumque homines, etiam infideles; adeoque illicitum et nullum sit quod apud ipsos contrahitur secundum Matrimoniam, priori uxore vivente.

Resp. affirmative: est quippe lex Christi universalis et indefinita: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur.* De infidelibus ipsis id specialiter affirmat jam cit., cap. *Gaudemus*. Innoc. III, proposita enim quaestione ista: « *Utrum Pagani post conversionem ad fidem possint retinere omnes uxores, quas duxerant in infidelitate*; respondet: « *Absonum et inimicum esse fidei christianae, quod possint plures illas uxores retinere.* » Paulo post addit: « *Nulli umquam licuisse plures simul habere uxores, nisi quibus fuerit divina revelatione concessum*; » ut antiquis Patriarchis et aliis viris justis, qui idcirco ab adulterii labe excusantur, Porro si ratum et validum fuisset conjugium cum pluribus simul uxoribus apud infideles, tale remaueret etiam post eorum conversionem et Baptismum, in iis qui pacifice cohabitare secum invicem consentirent: « *Per Baptismum enim, ait ibidem S. Pontifex, non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur.* » Unde rata habentur ea infidelium conjugia, quae vel in gradibus prohibitis, vel cum alio quovis impedimento ex jure dumtaxat ecclesiastico irritante, contracta sunt: quia nempe hisce Ecclesiae legibus obstricti non tenebantur infideles ante suam conversionem. Non ita porro de pluralitate uxoribus: non enim alia conditione ad Baptismum admittuntur, quam ut eam unicam retineant uxorem, cum qua primum conjuncti sunt, caeteris aliis, quae subinde admissae sunt in consortium thori, dimissis; ergo vi legis evangelicae irritum et nullum est a quocumque contractum cum pluribus simul uxoribus Matrimonium.

An vero rei sint adulterii infideles illi, qui pluribus simul uxoribus junguntur, si laborent invisibili ignorantia legis evangelicae, altera questio est, quae non est praesentis nostri instituti. Eos excusare videtur tum recepta apud eos consuetudo, tam ipsa invincibilis ignorantia legis Christi, qui consuetudinem illam olim receptam omnino abrogavit in nova lege.

Dices 1. Valentinianus imperator christianus non tantum duas simul habuit uxores, Severam nempe et Justinam, sed etiam, referente

Socrate, lib. 4 hist., cap. 34, publico edicto permisit unicuique, plures, si vellet, sibi conjugere uxores; neque tamem historia proditum legitimus insurrexisse, ac reclamasse Episcopos adversus legem hanc.

Resp. 1. Quod male gestum est, ac contra legem Christi in jus et exemplum trahi nusquam debere; si ergo verum est quod de illo imperatore narrat Socrates, damnari debet, et ex memoria hominum prorsus deleri.

Resp. 2. cum doctissimo Valesio in notis ad citatum Socratis locum, totam hanc historici narrationem de conjugio Valentiniani cum Justina, et lege ab ipso lata dubiae omnino esse fidei; hujus quippe legis nusquam alibi fit mentio, et ipsum silentium Episcoporum, Damasi praesertim S. Pontificis, rem illam totam commentitiam esse invicte demonstrat. Adde nec paganos historicos, inter quos Ammianus Marcellinus res Valentiniani accurate commemoravit, nec Sozomenum, Theodoretum, aliosque graecos; nec ullum, praeter Socratem, scriptorem hujusce legis meminisse. Praeterea vero quis in animum suum facile induxerit, voluisse christianum imperatorem eam permittere uxorum pluralitatem, quam ipsis Romanorum imperatorum, et quidem infidelium, legibus vetitam fuisse non ignorabat? «*Neminem, inquit lex data a Diocletiano et Maximiano Augustis, lib. 4, codicis ad legem Juliam, de adulteriis, qui sub ditione sit romani nominis, binas uxores habere posse vulgo patet, cum etiam in edicto Praetoris hujusmodi viri infamia notati sint: quam rem competens iudex inultam esse non patiatur.*» Denique, imperatoris exemplo ac legis licentia multi haud dubie incitati, pro innata hominis ad malum propensione, plures tunc temporis duxissent simul uxores: atqui tamen istud minime factitatum ostendit silentium sanctissimorum Episcoporum, qui pro suo in rem christianam studio tantam corruptelam patienti animo muti non tolerassent.

Dices 2. Gregorius II S. Pontifex scribens ad Bonifacium, secundam uxorem permittit cuidam, propter aegritudinem prioris, quam antea duxerat.

Respondent nonnulli cum Glossa super rescripto Gregorii apud Gratianum, caussa 32, q. 7, c. *Quod proposuisti*, Pontificem non concedere aliud conjugium, tamquam justum et legitimum, sed tamquam

minus malum, respectu scilicet fornicationis cum pluribus, quae viro illi, habita ratione ipsius intemperantiae, metuenda erat.

Respondent alii, supposititium videri hocce S. Pontificis responsum, quia Epistola unde desumitur, dubiae omnino et incertae fidei est: siquidem cum Zacharias Gregorii successor ageret in Romano Concilio de Matrimonio inter consanguineos, ac intelligeret ex quadam concessione, ut dicebatur, praedecessoris sui Gregorii concessum fuisse Germanis, ut infra quartum gradum nuptias celebrarent, jussit Epistolam illam Gregorii diligenter in tabulis Romanae Curiae inquiri, quae tamen inventa non fuit.

Respondent denique alii, in casu, de quo agebatur, nullum fuisse prius Matrimonium, nimirum ob perpetuam impotentiam, qua laborabat illa mulier, et qua conjugio inepta prorsus reddebatur: unde permittit S. Pontifex viro illi alteram ducere uxorem, quamquam optaret ut tamquam frater cum priori illa remaneret; *«sed quia hoc magnorum est,»* inquit, concédit ipsi ut cum altera contrahat, modo non deneget priori *«subsidium sustentationis:»* hoc est, ipsi provideat de necessariis ad vitae sustentationem. Plura alia hic sibi objicit Pontius, lib. 7, cap. 52, sed quae propius spectant indissolubilitatem vinculi conjugalis, et commodius referentur ac solventur articulo sequenti.

ARTICULUS SECUNDUS.

De firmitate seu indissolubilitate vinculi conjugalis.

Tam implicata, gravis, ac lubrica est praesens controversia, ut in ea solvenda imparem se aliquando, ac quemlibet *«venialiter falli posse,»* dixerit S. Aug., l. 1 de adulterinis conjugis, c. 25 et lib. de fide et operibus, c. 19, nondum scilicet tunc temporis penitus eliquata, et solemnī Ecclesiae judicio definita, quo jam nobis facem praefereute, ac discussis tenebris, firmiori ac securiori vestigio incedemus.

Cum vero Matrimonii nexus considerari possit in triplici hominum genere, paganis nempe, Judaeis et Christianis, de illius firmitate ac indissolubilitate apud eos omnes disceptandum nobis est. Quod

momentum, ut accurate ac plene, quantum rei gravitas postulat, exequamur, haec discutienda nobis ac solvenda proponimus capita.

Primum, unde repetenda sit firmitas et indissolubilitas vinculi conjugalis: an ex jure naturali tantum, an ex divino positivo, an ex ratione Sacramenti.

Secundum, de firmitate vinculi conjugalis apud infideles: an solvatur per conversionem alterius conjugis ad fidem christianam, et fiat potestas convolandi ad alias nuptias.

Tertium, de firmitate vinculi conjugalis, apud Judaeos: an dirimetur per libellum repudii.

Quartum, de firmitate vinculi conjugalis apud Christianos: an solvi possit per adulterium.

Quintum, an Matrimonium christianorum ratum, et non consummatum, solvatur quoad vinculum per solemnem religionis professionem et quo jure; quidve sit observandum, cum ante consummationem alter conjux transit ad religionem.

Sextum, an S. Pontifex dispensare possit a vinculo Matrimonii rati, sed non consummati.

Septimum, an Matrimonium christianorum ratum et consummatum solvi possit per ingressum in religionem; quidve sit observandum cum alter vel ambo conjuges aut religionem ingredi, aut viæ sacros ordines suscipere desiderat.

Octavum denique, de divortio seu separatione conjugum, tum quoad thorum, tum quoad cohabitationem: an liceat, et quibus de caussis.

Unde repetenda sit firmitas et indissolubilitas vinculi conjugalis: an ex jure tantum naturali; an ex praecepto Dei positivo; an ex ratione Sacramenti.

Prius quam rem ipsam propius aggrediamur, duo sunt observanda.

Primum, apud omnes theologos nonnihil discriminis statui inter Matrimonium legitimum, ratum, et consummatum. Legitimum seu verum vocant, quod contrahitur juxta leges praescriptas a personis

nullo impedimento ligatis: hoc modo legitimum et verum est inter infideles Matrimonium. Ratum dicitur, quod initur a christianis, quodque ex baptismo majorem, quam antea, firmitatem assequitur: cessante scilicet causa et ratione, propter quam in infidelitate contractum dissolvi poterat, nempe causa fidei, in cujus gratiam concessit Deus, ut si ex duobus conjugibus infidelibus unus ad fidem convertatur, alter vero conventi nolit nec cohabitare pacifice, soluto priori vinculo, fiat libera facultas ad alia vota convolvendi. Hoc sensu Innoc. III, C. Quinto de divortiiis, dixit: «*Etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum et ratum existit, quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nusquam amittitur; sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.*» Consummatum vero dicitur, quod usu ipso seu carnali conjunctione perfectum est. Distant inter se hujusmodi conjugia, firmitatis ac perfectionis gradu: quod enim christianos ratum est per baptismum, perfectione superat illud, quod inter infideles legitimum quidem ac verum est, sed non tantum, unde fit ut dissolvi possit per conversionem unius conjugis ad fidem christianam. Pariter quod ratum est ac consummatum inter christianos, perfectius est rato tantum et non consummato; quia ratum non consummatum solvi potest per solemnem religionis professionem, ratum vero et consummatum sola morte dissolvitur.

Rationem veluti a priori adducit S. P. Innoc. III, c. *Debitum, de bigamis*, quia scilicet Matrimonium ratum significat dumtaxat unionem Christi cum fidelibus per charitatem, quae dissolvitur per lethale peccatum; Matrimonium vero consummatum significat unionem Christi cum humanitate per incarnationem, quae dissolvi non potest: «*Quod enim Christus semel assumpsit, ait axioma theologicum, nusquam dimisit.*»

Alterum hic observandum, seu potius ex jam dictis superius revocandum, istud est, inter res scilicet jure naturali prohibitas, alias pertinere ad primaria et universalia naturae principia, quae intrinsicam et inseparabilem continet malitiam, neque unquam licitae fieri possunt; alias vero non pertinere, et hoc tantum sensu dici et esse juri naturali contrarias, quod sint minus conformes et consentaneae

naturae inclinationi ac propensioni, a quibus consequenter nullus potest sua privata auctoritate dispensare.

His praenotatis, quamquam omnes orthodoxi theologi (paucis admodum exceptis) communi suffragio doceant, vinculum Matrimonii solvi non posse, nisi duobus in casibus infra designandis; discordes tamen sunt in assignando jure ex quo sit repetenda firmitas illa et indissolubilitas nexus conjugalis. Sunt qui existimant cum Michaelae de Medina, lib. 5, de caelibatu, cap. 72, 88 et 89, post Christum Matrimonium nondum consummatum solo jure ecclesiastico esse insolubile. Ad hanc opinionem impulsivi videntur hi theologi ex alia, quae existimant, Matrimonium ratum et non consummatum dissolvi posse auctoritate S. Pontificis. Alii cum Richardo, dist. 27, art. 2, q. 1; Almaino, in 4, dist. 26, qu. 1, caeterisque, quos appellat Pontius, l. 1, de Matrim., c. 12, n. 4, ad unam dumtaxat Dei voluntatem et institutionem referunt insolubilitatem vinculi conjugalis. Alii contra ad solum jus naturale. Alii denique cum Estio, in 4, dist. 33, §§. 7 et 8, simul ad jus naturale et divinum, ac ipsam sacramenti rationem: circa quod postremum caput adhuc dissident scholae doctores. Multis etenim placet ex ipsa conditione sacramenti, seu mystica significatione Matrimonii, intrinsecam ipsi accedere firmitatem; aliis vero extrinsecam dumtaxat, sensu quem mox exponemus. Non hic commemoro sententiam, quam explicat ac tuetur Thomas Sanchez, lib. 2, de Matrimonio, disp. 13, n. 7 et seq.; facile enim est eam ad aliquam ex mox dictis opinionibus revocare. Sit itaque

CONCLUSIO.

Vinculum Matrimonii firmum est, perpetuum ac indissolubile, tum jure naturali ac primaeva sua institutione, tum jure divino positivo, tum ipsa sacramenti ratione.

Prima pars, quae est de jure naturali,

Probat 1. Quia verum est, legitimum ac insolubile apud infideles Matrimonium: atqui non aliunde quam ex ipso jure naturae ac primaeva sua institutione oriri potest haec firmitas et indissolubilitas.

2. Quia in statu innocentiae indissolubilitatem hanc, ipsa suggerente natura, cognovit Adamus, antequam Deus ullum de illa positivum dedisset mandatum, et Matrimonium ad dignitatem sacramenti evexisset.

3. Ipsa lege naturae essentialia ad certum intercedit discrimen inter fornicationem seu liberum concubitum, etiam suscipiendae prolis causa, et legitimum conjugium; siquidem Scriptura passim nuptias commendat et praedicat, alium vero quemlibet concubitum damnat ac prohibet sub poena exclusionis a regno coelorum, Rom. 4, Ephes. 5, 1 Corinth. 6, Galat. 5. Atqui discrimen illud aliunde melius repeti non potest, quam tum ex periculo prolis, cujus educationi non satis consuleretur in concubinato libero; tum ex firmitate ac perpetuitate, quae annexa est vinculo conjugali, et qua caret concubinatus, qui liber est et omni lege solutus.

4. Firmitatem hanc et indissolubilitatem postulat natura et finis contractus conjugalis. Natura quidem; Matrimonium quippe est animorum corporumque conjunctio ad individuam vitae societatem: at perit illa societas individua si natura sua, et libero conjugum consensu dirimi potest: frigescit non minus ac pene extinguitur amor seu animorum conjunctio, cum uni libero est ab altero discedere: e contra necessitas unionis perpetuae arctius animos devincit et ligat. Finis vero Matrimonii duplex est, potissimum nempe generatio prolis, et liberalis ejusdem educatio: at uterque postulat firmum ac perpetuum conjugum nexum; quomodo enim certus erit prolis pater, si mulier saepius ad libitum repudiata pluribus jungatur? Quis prolem nutriet et educabit? Quis porro futurus esset discordiarum ac dissensionum finis, non tantum in familiis, sed in republica universa, si, dirupto conjugii foedere, et mulier sine viro, et proles sine certo patre ac debita educatione destituta relinqueretur? quibus certe gravissimis incommodis occurrit sapientissimus naturae architectus, ipsa naturae lege ita firmans ac stringens conjugii nexum, ut nulla privata possit auctoritate disrupti.

Haec et alia incommoda ex repudio ac solubilitate Matrimonii postquam exposuit graviori sermone S. Ambrosius, lib. 8 in Lucam, sic pergit: *« Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam, qui leges*

ferunt: Quae Deus conjunxit, homo non separet. Sed non solum hic coeleste praeceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur; quibus certe verbis aperte innuit, insolubile esse Matrimonium, non tantum ex praecepto Dei positivo, sed etiam ex propria sua ac nativa conditione: unde concludit S. Doctor: «*Si nubat (nempe uxor repudiata), necessitas illius tuum crimen est; et conjugium, quod putas, adulterium est.*»

Eadem est S. Jo. Chrysos. doctrina, Hom. 63 in Matth.: «*Nunc, inquit, et creationis, et sanctionis modo, unam uni perpetuo conjungi, et nunquam rescindi oportere docuit. Audi autem quomodo loquatur: Erunt duo in carne una, etc., nec ad mulierem accedere virum simpliciter voluit, vero etiam adhaerere seu agglutinari, potestate dictionis ostendens minime illos esse separandos.*» Et paullo post: «*Quemadmodum igitur scelus est in duo diuidere carnem unam, sic et mulierem a viro suo diripere iniquissimum est. Neque in hoc stetit: sed Deum quoque attulit, dicens: Quod igitur Deus conjunxit, homo non separet. Ita ostendit, et praeter naturam et contra legem esse repudium: praeter naturam quidem, quia una caro inciditur; contra legem autem, quia Deus conjunxit ac jussit non separari.*» Haec S. Jo. Chrysostomus ad rem nostram maxime accommodata.

5. Denique vel ipsis Romanis tam bene consentire visa est cum natura et dignitate Matrimonii ejus firmitas et indissolubilitas, ut, narrante Tertulliano, c. 6 Apologetici, per sexcentos annos nullam apud ipsos extiterit soluti Matrimonii ac repudiatae uxoris exemplum. «*Ubi est, inquit, felicitas illa Matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab Urbe condita, nulla repudium domus scripsit?*» Primus omnium uxorem repudiavit Spurius Carvilius sterilitatis caussa, inquit Valerius Maximus, l. 2, c. 1. «*Qui (pergit historicus) quamquam tolerabili caussa motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei praeponi debuisse arbitrabatur.*» Sed eo corruptionis postea devenerunt Romani, ut levissimis ex caussis conjugia solverent, suis repudiatis uxoribus. «*Nunc vero, pergit loco citato Tertullianus, repudium, et votum est, et quasi Matrimonii fructus.*» Narrat jam laudatus Valerius Maximus, lib. 6, cap. 2: «*Sulpitium Gallum uxori nuntium*

misisse, quod eam capite aperto foris versatam agnovisset: idem fecit Publius Sempronius, quod uxor ludos funebres spectasset. Idem et multi alii levissimis de caussis, imo et nulla de caussa, sed ex mutuo conjugum consensu, quod dicebatur *ex bona gratia* disrupto nexu conjugali dabatur licentia ad alias nuptias, permittentibus etiam aliquando christianis imperatoribus, « *quorum lex*, ait S. Ambrosius, in c. 13 S. Lucae, *justa non est. Hoc licet*, inquebat S. Aug., hom. 392, alias 49, inter 50, *non jure poli, sed jure fori.* »

Secunda pars Conclusionis, nempe Matrimonium habere ex primaeva sua institutione, ut perpetuum sic nec dirimi valeat.

Probatur ex cap. 2 Gen., ubi Adam expergefactus a sopore illo gravi, in quo Deus extractam e latere ipsius costam, aedificavit in mulierem, exclamavit, v. 23: « *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea . . . Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una,* » seu, ut observat S. Jo. Chrysostomus, hom. 63, in Matth., juxta vim verbi graeci, *adglutinabitur uxori suae*; quod certe verbum apte exprimit unionem indissolubilem: quae enim glutinae adhaerent invicem, ea potius frangas quam solvas. Hanc esse primaevam conjugalis foederis firmitatem ac perpetuitatem significat Christus apud S. Matth., c. 19, ubi post recitata haec Geneseos verba ita concludit, v. 6: « *Itaque jam non sunt duo, sed una caro;* » et vers. 8: « *Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* » Ita docet Conc. Trid., sess. 14, c. unico de Matrimonio: « *Matrimonii, inquit, perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciauit, cum dixit: Hoc nunc os,* » etc. Quae verba Scripturae non tantum de Matrimonio consummato, vel de Matrimonio fidelium, sed de quocumque legitime contracto, sive apud infideles, sive apud christianos, sive consummato, sive non intelligenda esse solide demonstrat contra Thomam Sanchez, Basilium Pontium, lib. 1, de Matrim., cap. 13, n. 5 et seq. Neque dicas citata verba ad consummatum Matrimonium referri a nonnullis S. Pontificibus. Recte quidem, quia major est apud christianos consummati Matrimonii firmitas, quam non consummati: istud siquidem per solemnem religionis professionem solvi potest, illud vero sola morte. At dum majorem

illam consummati conjugii firmitatem agnoscunt SS. illi Pontifices, et Scripturae verba ad hanc referunt, non ideirco asseruisse censendi sunt Matrimonium ante consummationem solvi posse privata auctoritate; imo illud ex sese firmum esse et indissolubile agnoscunt, quam inferiori quodam gradu, ut jam diximus, respectu Matrimonii consummati.

Tertia pars Conclusionis, jure ac praecepto divino positivo dirimi non posse vinculum conjugale, manifesta est, ex citatis modo Christi verbis, Matth. 19, vers. 16: «*Itoque jam non sunt duo, sed una caru.*» unde concludit: «*Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*» Ad hanc divinam legem respexit Apostolus, 1 Cor. 7, v. 10: «*Iis, inquit, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari;*» et v. 39: «*Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est.*» Idem rursus repetit, Rom. 7, v. 2 et 3. Igitur, interprete Apostolo, sola morte dissolvitur Matrimonium, ita ordinante ac jubente Christo.

Positivam hanc Dei legem agnoscit loco antea citato Synodus Trid.: «*Ejusdem nexus firmitatem, inquit, ab Adamo tanto ante pronunciatam, (Christus) his verbis confirmavit: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;*» et Can. 7 ejusdem sess. 24, anathema: dicit iis, «*qui asserunt errare Ecclesiam cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi.*»

Denique eandem Matrimonio indissolubilitatem jure divino annexam esse declaravit sacra Facultas parisiensis in sua celebri adversus Erasmus Censura, an. 1526: «*Est enim, inquit, vinculum Matrimonii jure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat,*» etc.

Quarta denique pars Conclusionis, nempe ex ratione sacramenti quamdam Matrimonio accedere firmitatem.

Probatur 1. Si sacramentum latiori sensu usurpetur, pro signo rei sacrae, Matrimonium apud infideles hoc modo dici potest sacramentum, quia est signum unionis Christi cum Ecclesia, quemadmodum superius ostendimus ex Innocentio III, c. *Gaudemus, de divortiis,*

ubi affirmat, « *apud infideles existere sacramentum conjugii,* » atque ex illa mystica significatione quamdam trahit indissolubilitatem, licet non tantum, quanta competit Matrimonio christianorum.

2. Si sacramentum stricte et proprie sumatur, quale solum apud christianos repetitur, quamdam etiam firmitatem communicat Matrimonio fidelium, quia perfectius est in Baptismo, et in Matrimonio exprimitur unio perpetua et indissolubilis Christi cum Ecclesia, sive per incarnationem, sive per influxum gratiae: ad quam sacramenti rationem recurrit saepius S. Aug., ut suam vinculo conjugali firmitatem et perpetuitatem asserat. L. de bono conjugali, cap. 7: « *Usque adeo, inquit, foedus illud initum nuptiale cujusdam sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat: quadoquidem vivente viro, et a quo relicta est, moechatur, si alteri nupserit;* » et cap. 24: « *Bonum nuptiarum, inquit, per omnes gentes atque omnes homines in caussa generandi est, et in fide castitatis: Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere.* » Idem argumentum versant, l. 1 de nuptiis et conc., cap. 10, ubi ait rem sacramento significatam esse perpetuam unionem Christi cum Ecclesia: « *Non tantum, inquit, foecunditas, cujus fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides; verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et foemina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent . . . Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur.* »

Eadem est Eugenii IV sententia in decreto, seu instructione Armenis data: « *Tertium, inquit, Matrimonii bonum est indivisibilitas, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiae.* »

Si vero quaesieris an firmitas illa et indissolubilitas, quae accedit Matrimonio ex ratione sacramenti, sit intrinseca vel extrinseca, respondebo cum Basilio Pontio, l. 1 de Matr., c. 14, num. 1, extrinsecam dumtaxat esse, « *quia extrinsecam tollit solubilitatem, hoc sensu, ait citatus auctor, quod ex casibus in quibus supremus omnium Dominus*

disposuit Matrimonium dissolvi, cessat jam in baptizatis casus ille in quo dissolvitur Matrimonium in favorem baptizati. Unde ea significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia non est ejus insolubilitatis causa, sed signum a posteriori, quo intelligimus jam cessasse illam divinam dispositionem, qua disposuit, ut Matrimonium infidelium, altero converso ad fidem, altero vero nolente cohabitare, dissolveretur.» Ita Pontius.

Dices: Quod jure naturali et intrinseco insolubile est, nusquam dirimi ac dissolvi potest; jus quippe naturale immutabile est, nec in eo dispensatio locum habet: atqui tamen dissolvi potest vinculum Matrimonii, Deo ita dispensante, non tantum in lege veteri cum permisit libellum repudii, sed etiam in lege evangelica, duplici in casu, nempe cum infidelis non vult cohabitare cum altero conjuge ad fidem converso, et cum ante consummationem alter conjugum religionem solemniter profitetur.

Resp. dist. maj. quod jure naturali et intrinsece insolubile est, nusquam potest dirimi ac dissolvi privata auctoritate, et ex causa aliqua Matrimonio intrinseca, concedo: auctoritate Dei supremi rerum omnium domini et propter aliquas causas Matrimonii essentialis accidentales et extrinsecas, nego. Habet itaque Matrimonium ex natura sua et intrinseca conditione, ut a nullo mortalium quacumque de causa possit privata auctoritate dissolvi, quia nullus in ea, quae juris sunt naturalis, auctoritatem suam potest exercere, sed solus Deus naturae auctor pro suo supremo in res omnes dominio. Hinc etsi Angelus et anima rationalis sint ex propria sua et interna constitutione immortales, nec ulla naturali causa possint corrumpi, possunt tamen a Deo absolute destrui. Pariter, licet votum ex se perpetuum sit, et status religionis insolubilis, potest tamen ex legitima auctoritate dispensatio in iis concedi; similiter igitur potest Deus dispensare a vinculo conjugali, quia supremus est corporum nostrorum dominus, quorum usum potest ad tempus sub certis conditionibus permittere. Causae vero, propter quas movetur Deus ut dissolvi aliquando velit nexum Matrimonii, non sunt intrinsecae Matrimonio, quasi solvi exigeret ipsius essentia et natura; sed sunt omnino extrinsecae: talis fuit in veteri lege duritia Judaeorum, in nova vero fidei et professionis religiosae privilegium.

Ad probationem subjunctam, nōmpe jus naturale esse immutabile, nec Deum ab illo posse dispensare, distinguo : Jus naturale, quantum ad prima et universalia principia, et in iis, quae intrinsecam habent et inseparabilem malitiam, est immutabile, nec in eo potest Deus dispensare, non quidem defectu potestatis, sed quia semetipsum negare non potest, concedo : quantum ad remotiora principia, et in iis, quae non sunt intrinsece et per se mala, qualis est pluralitas uxorum simul et solubilitas vinculi conjugalis, nego.

Instabis 1. Si sola hic audiatur vox naturae, tantum abest ut nullo casu dissolvi posse vinculum conjugale suggerat, quin potius multis in casibus dissolvi illud debere, vel ipsa Matrimonii natura et finis attendenti demonstrabit. Est quippe Matrimonium institutum a natura ad unionem animorum, prolis generationem, et subsidium humanae fragilitatis : cum itaque contingit (quod saepe fit) vel conjugum animos ita discordes esse, ac indole dispares, ut pacifice conciliari nusquam valeant ; vel alterum conjugum perpetua laborare impotentia, nec ullam esse spem suscipiendae prolis ; vel conjuges nullam sibi invicem opem, nullum subsidium ferre posse, sive ob diuturnam aegritudinem, sive ob longinquam peregrinationem, sive etiam ob captivitatem vel servitutem, nonne his in occasionibus exigere videtur lex naturae, imo et ipsa Matrimonii essentia, ut solvatur vinculum, et fiat potestas convolandi ad alia vota ?

Resp. nego ant. ad cujus probationem, dico, incommoda mox numerata per accidens Matrimonio advenire : in legibus autem tum divinis tum humanis spectari potissimum debet quod in bonum publicum communius vergit, non vero quod per accidens, et aliquibus in casibus fini earundem legum potest adversari : « *In legibus Matrimonii, ait S. Th. in 4, dist. 33, q. 2, art. 1, magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit,* » idest, non cessat lex generalis ob aliquem casum particularem, in quo deficit ratio. quam generaliter spectat. Adde, quod cessante aliqua ratione in Matrimonio, aliae superesse possunt, ex quibus ejus indissolubilitas etiam recte probatur. V. g., in Matrimonio steriliū, in quo non est naturae officium, est saltem remedium infirmitatis, et si aliquando utrumque defuerit, ut cum intervenit aegritudo vel impotentia perpetua, remanet

individua vitae societas, quae est Matrimonii finis praecipuus. Pariter ubi discordant animi conjugum, potest tamen proles suscipi. Verissima igitur est sententia, 1 Corinth. 7, v. 10: «*Praecipio non ego; sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari.*»

Instabis 2. certum ex lege repudii non tantum apud Paganos, sed etiam apud christianos ex legibus christianorum imperatorum diu viguisse. Hanc permisit Constantinus Magnus, l. 3 codicis Theodosiani, tit. 16, *de repudiis*. Hanc Justinianus, Novella 117, ubi plures repudii causas, tum ex parte viri, tum ex parte mulieris exponit. Eandem sub Carolo Magno adhuc in usu fuisse testatur Marculfus, l. 2 Formularum, c. 30, ubi describit formulam, qua scribi solebat ejusmodi repudium. Ex bona etiam gratia seu ex mutuo conjugum consensu, olim dissolvebatur Matrimonium, aliisque de causis in jure civili expressis, ut late probat Pontius, l. 9, c. 1. At si jure naturae firmum ac perpetuum foret, ut dicimus, vinculum conjugale, procul dubio christiani principes repudium naturae legi tam contrariam non permisissent.

Resp. a facto seu exemplo ad jus ipsum trahi non debere hic argumentum. Permisere aliqui principes christiani repudium; ergo licitum est. Pessima certe consecutio: quasi omnes et singulae quotquot umquam extitere civiles leges a christianis principibus latae justae semper et aeternae legi conformes fuerint: nonnulla illi aliquando sanxerunt improbitate, ut ita dicam, hominum superati, ac majus praecavendum malum, quas alias non tulissent, sed quae excusari a culpa non possunt cum adversantur legi divinae et naturali. Jam observat Origenes, Commentario in Matth. «*latae fuisse quasdam leges, non quasi praestantia aliqua et excellentia praeditas, sed quasi ad eorum, qui legi subditi sunt, infirmitatem accommodatas et compositas.*» Atque de legibus hujusmodi dici merito potest, quod Tertullianus de antiquis legibus Romanorum, Apologetici, c. 5: «*Quod adhuc, inquebant, vobis repurgandae leges latent? quae cum iniqua recognoscantur, merito damnantur.*» Cum itaque solutio vinculi conjugalis, ac repudii lex repugnet naturae, ac institutioni primaevae nuptiarum iniqua est.

Ita censuere sancti Ecclesiae Doctores:

S. Hieron., epist. 34, alias 30 ad Oceanum: «*Aliae sunt, inquit,*

leges Caesarum; aliae Christi. Aliud Papinianus; aliud Paulus noster praecipit.»

S. Ambrosius, lib. 8, cap. 16 Lucae, n. 5: «*Dimittis ergo, inquit, uxorem quasi jure, sine crimine; et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed lex divina prohibet.*»

S. Aug., serm. 392, alias 39, inter 50: «*Hoc non licet, inquit, jure poli, et si licet jure fori;*» et l. 5 de nuptiis et concupisc., c. 10: «*Sterilem conjugem, ait, relinquere, ut alia foecunda ducatur, nefas est, quod si quisquam fecerit, non lege hujus saeculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur . . . sed lege evangelii reus est adulterii.*»

S. Jo. Chrisost., hom. in haec Apostoli verba, 1 Cor. 7: «*Mulier alligata est legi quanto tempore vixerit vir ejus.*» «*Ne mihi, ait, leges ab exteris conditas legas praecipientes dare libellum repudii, et divelli. Neque enim juxta illas juducaturus est te Deus in die illa, sed secundum eam quam ipse statuit.*»

S. Gregorius Nazianz., epist. 211: «*Divortium, inquit, legibus nostris omnino displicet, tametsi romanae aliter decernant.*»

Hocce Gregorii testimonium postquam retulit Nicolaus I, epist. 32, ait: «*Civiles imperatorum leges nullum posse praejudicium inferre evangelicis, apostolicis atque canonicis decretis.*»

Et ante illos Innoc. I, in Epistola ad Exuperium, c. 6, ait: «*Ex utraque parte adulteros esse, qui interveniente repudio alii se Matrimonio copularunt.*»

Haec veterum testimonia non sine consilio hic exscribenda duximus, ut intelligat unusquisque quam leviter et inconsiderate passim in suo de regia in Matrimonium potestate tractatu scripserit Launorius, se legisse saepius permissum a christianis principibus repudium, nec ab Episcopis reprehensam et improbatam eorum legem: haec haud dubie vel non legerat, vel dissimulare saltem voluit Launorius testimonia veterum.

Instabis denique: Si non licet uxorem dimittere, et aliam ducere, magis expedit numquam nubere.

Resp. Ita censuisse Judaeos illos carnales, quos increpat Christus. Cum enim illi ex licentia per Moysen data possent uxore dimissa ducere aliam, dure admodum et aspere audiebant Christum re-

vocantem talem licentiam, restituta primaeva Matrimonii firmitate et indissolubilitate. «*Ab initio non fuit sic: Quod ergo Deo conjunxit, homo non separet,*» dicebat Christus. Christiani ergo, quibus jugum Christi suave esse debet, tantum abest, ut a nuptiis ea de causa revocari debeant, quod perpetuum sit viculum conjugale, quin potius ea ipsa de causa incitari potius, ac moveri ad illas debeant, ut nempe, juxta monitum Apostoli, «*nubant in Domino;*» hoc est, non carnali desiderio neque propter temporalia bona, sed ut filios sancte et in timore Dei educant, suamque cum uxore operentur salutem per mutua pietatis ac religionis officia.

De firmitate vinculi conjugalis apud infideles: an per conversionem alterius conjugum ad fidem christianam solvatur, et fiat potestas convolandi ad alias nuptias.

Quae pertinent ad conjugia infidelium nonnullis hic quaestionibus, et responsis breviter exponemus.

Quaeres 1. An verum et legitimum contrahatur inter infideles Matrimonium.

Resp. affirmative. Probatur manifeste ex Apostolo, 1 Cor. 7, v. 12: «*Si quis frater, inquit, uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.*»

Supponit igitur Apostolus uxorem hanc legitime ductam fuisse in infidelitate, alias non permetteret eam retineri a viro converso ad fidem. Et vero conjugalis contractus juris est naturalis, qui vere ac legitime celebrari potest in quacumque religione, ab illis qui nullo impedimento irritante ligati sunt, sive jure ipso naturali, sive civili principum, quibus subditi sunt constitutione. Matrimonium vero illum apud infideles non est verum sacramentum: unde Innoc. III, cap. *Gaudemus, de divortiiis*, ait illud *ratum non esse*, defectu scilicet Baptismi ex quo habet Matrimonium ut ratum dicatur.

Quaeres 2. An Matrimonium in infidelitate contractum dissolvatur per conversionem utriusque conjugis ad fidem christianam.

Resp. negative. Patet ex mox citato Apostoli textu. Si enim vir conversus non debet discedere ab uxore infideli, quae consentit

pacifice habitare et sine injuria Creatoris, quanto magis discedere non debet ab uxore, quae pariter convertitur ad fidem? «*Per Baptismum enim*, ait Conc. Meldense, et post ipsum Innoc. III, cap. *Gaudemus*, non solvuntur conjugia, sed dimittuntur crimina.»

Atque ex his inferre 1. eam infidelem qui sua uxore repudiata alteram duxerat, si ad fidem christianam convertatur, separandum esse a posteriori illa uxore, et cogendum, ut ad priorem redeat: quia nempe lex Christi repudium non admittit, et aliunde lege ipsa naturali dirimi non potest vinculum conjugale; nullum igitur fuit secundum igitur Matrimonium, quamdiu prius firmum stetit. Quod si prior uxor nollet cum marito christiano factio pacifice, et sine contumelia Creatoris cohabitare posset ille, de novo secundam illam, quam in infidelitate non legitimam habuerat, legitime ducere, priori discedente. Ita statuit Innoc. III, c. *Gaudemus*, in fine. Et ita pariter intelligi debet caput *Si quis gentilis*, caussa 18, q. 1, quod dicitur esse Eutychiani Pontificis: «*Si quis gentilis*, inquit, *uxorem dimiserit ante Baptismum*, in potestate ejus erit habere vel non habere.» Si nempe dimissa est per repudium, et nolit ad fidem converti, potest vir conversus ad fidem eam, si velit, rejicere, vel cum ea cohabitare, si fieri illud potest absque periculo subversionis.

Inferes 2. infideles, qui ad fidem convertuntur, et in infidelitate plures duxerunt uxores ab illis separandos esse, sola ea relicta, quae primo ducta fuit. Ita, eodem c. *Gaudemus*, statuit S. P., et quidem apposite ad legem christianam, quae pluralitatem uxorum simul omnino prohibet ac rejicit.

Quaeres 5. An cum alter infidelis convertitur, teneatur habitare cum infideli, qui renuit quidem converti, sed consentit habitare pacifice et sine contumelia Creatoris.

Resp. 1. tempore Apostolorum cum spes erat futurae conversionis infidelis conjugis, licitam fuisse cohabitationem fidelis cum infideli. Ita Apost., 1 Cor. 7, v. 12: «*Si quis frater uxorem habet infidelem*, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam . . . sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.» Pontius, l. 7, c. 48, n. 6, putat cohabitationem hanc tunc temporis necessariam fuisse ex praecepto;

o contra Sanchez, l. 7, disp. 73, n. 7, licitam dumtaxat ex consilio existimat, quia expresse Apostolus ait: «*Ego dico, non Dominus:*» ex quo concludit citatus auctor liberum plane fuisse viro fideli recedere ab uxore infideli, vel non recedere. Arcudius, de Matrim. c. 21, distinguit inter praeceptum divinum et humanum, quod Apostoli ad tempus dederunt. Negat ille quidem, citatis Apostoli verbis contineri divinum, sed agnoscit apostolicum mandatum, quod primis illis temporibus congruum fuit, nempe ut discederet pars fidelis ab infideli, quae consentit habitare pacifice et sine contumelia Creatoris, tum ne fortis tali separatione Pagani deterrentur a fide christiana, tum ut ea cohabitatione posset facilius infidelis imbui documentis christianis et ad religionem veram adduci. Sive porro praeceptum sit, sive consilium, certum est tempore S. Augustini licitum adhuc fuisse conjugii fideli habitare cum infideli, imo et tempore Innoc. III, sicut colligitur ex c: *Gaudemus, de divortiiis*, ubi sic loquitur: «*In favorem christianae religionis et fidei, a cujus perceptione per uxores se deseri, timentes viri possunt facile revocari: Fideles hujusmodi licite matrimonialiter copulati, libere possunt et licite remanere conjuncti, cum per sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.*»

Resp. 2. Nonnullis in regionibus adulta jam Ecclesia, sexto saeculo canonibus cautum esse, ne ex Judaeis conversi ad nos, remanerent cum infideli uxore, nempe ob probabile et quasi certum subversionis periculum. Ita sanxerunt in Concilio Toletano IV, an. 650, can. 62, congregati simul Galli et Hispani. De Judaeis autem potissimum statuit canon, quod magis sint in errore pertinaces et ad subversionem magis proclives. Atque hinc nata inter Theologos controversia, an scilicet ecclesiastica lege jam teneatur infidelis conversus recedere ab uxore in infidelitate permanente, licet consentiat habitare pacifice et sine Creatoris injuria. Fatentur fere omnes, nullam extare scriptam legem, quae prohibeat hanc cohabitationem, usum tamen et consuetudinem jam esse illicitam, nisi forte iis in casibus, in quibus spes affluere potest futurae conversionis, de quibus judicare prudentis est Episcopi vel sacerdotis.

Quaeres 4. Si duorum conjugum unus convertitur ad fidem, alter

nec convertitur, nec vult pacifice cohabitare, quem proles sequi debeat, an fidelem, an infidelem parentem?

Resp. cum distinctione. Si enim proles sit doli capax non est cogenda ad fidem, sed suae libertati relinquenda; nullus enim sui compos ad fidem cogendus est. Ita statuitur, c. 57 Concilii IV Toletani, fides quippe suaderi potest, cogi non potest. Si vero proles non sit doli capax, ejus debet sequi conditionem, qui ad fidem convertitur. Ita, cap. ultimo *de conversione infidelium*, et c. 63, Conc. IV Toletani, quod refertur c. *Judaei* caussa 28, q. 1. Ratio est, quia eo ipso quod alter conjux, fidelis est, potest ab Ecclesia compelli, ut prolem doli non capacem baptizet. Ita, statuit jam citatum caput Conc. IV Toletani. In dubio autem an proles gaudeat usu rationis, in favorem fidei inclinandum est: quamobrem licet attento jure filius minor triennio apud matrem sit educandus, major autem apud patrem, in gratiam tamen fidei, quando pater est fidelis, proles, etsi triennio minor, apud ipsum educanda est; sicut pariter apud matrem fidelem, etsi aetate major.

Quaeres 5. Quibus in casibus, et quo jure solvatur vinculum Matrimonii, cum alter conjux ad fidem convertitur, altero in infidelitate contumaciter permanente.

Resp. Tres in jure canonico assignari casus. Primus si infidelis renuat converti et discedere velit, fidelis sic derelictus potest, soluto priori vinculo, ad alias nuptias convolare. Secundus, si infidelis nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, vel non audiat nomen ejus sine despectu, ejus laude prohibeat, domesticos ad defectionem hortetur. Tertius si pertrahat ad peccatum mortale. Ita Innoc. III, c. *Quanto, de divortiiis*: « Si alter infidelium conjugum, inquit, ad fidem catholicam convertatur, nullo modo vel non sine blasphemia divini numinis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat, frater enim vel soror non est servituti subjectus in ejusmodi. » Quae verba deprompta sunt ex cap. 7, vers. 15, 1 ad Corinthios, ex quibus intelligimus, in priori casu, permittente Deo, solvi nexum conjugalem, etiam post consummationem ac fidei derelicto fieri potestas ad alias nuptias celebrandas.

« *Non enim, ait Apostolus, servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* » Hoc est, non tenetur vitam ducere coelibem, si discedat alter conjux infidelis.

Quaeres 6. An solvatur Matrimonium per haeresim vel infidelitatem ad quam post baptismum conjuges deficiunt.

Resp. negative: nullo quippe jure, neque divino, neque ecclesiastico, id licitum, imo potius vetitum est: per baptismum enim, ita ratum evadit inter christianos Matrimonium, ut si consummatum fuerit sola morte possit dissolvi. Rationem hanc adducit Innoc. III, cap. Quanto, jam citato, et Conc. Trid., sess. 24, Can. 5, sic definit. « *Si quis dixerit propter haeresim, aut molestam cohabitationem . . . dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* »

Quaeres 7. An si conjux infidelis consentit pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare cum fidei, liberum isti sit solvere Matrimonium, et aliud contrahere.

Resp. rem hanc inter theologos esse maxime controversam. Sunt qui negant eo in casu dissolvi posse Matrimonium. Ita inter recentiores Estius, in 4, dist. 59, §. 6 et seqq., et inter veteres non pauci, quos appellat Thom. Sanch., lib. 7, disp. 74, n. 8. Sunt contra qui cum Bellarmino, lib. 12 de Matrim., cap. 12. Ad secundum in fine simpliciter affirmant, liberum esse conjugii fidei eo etiam in casu solvere conjugium. Sunt denique, qui cum Th. Sanch., loc. mox cit., n. 9, cum distinctione quaestionem sic solvant. Nempe, quibus temporibus licita fuit cohabitatio fidei cum infidei, dissolvi non potuit Matrimonium: subsequenter vero temporibus, quibus haec cohabitatio prohibita omnino fuit, dissolvi potuit, ita Apostoli mentem atque sententiam interpretante Ecclesia, quae proprie non dirimit vinculum conjugii, sed declarat tali in casu divino juri dissolvi posse; nimirum propter evidens fidei periculum, quod semper huic cohabitationi, seu consortio cum homine infidei annexum est: unde in jure canonico pro eodem fere habetur cohabitare cum infidei, et contumeliam Creatori inferre. Difensores primae sententiae, istis Apostoli verbis, 1 Cor. 6, v. 12: « *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam,* » verum exprimi praecipuum affirmant: auctores vero secundae opinionis, nudum consilium;

juxta vero patronos tertiae, partim praeceptum esse, partim consilium; praeceptum pro primis Ecclesiae temporibus, quibus non expediebat ut uxores infideles, quae pacifice cohabitare volebant, dimitterentur, ne scilicet gravis et odiosa hic fieret christiana religio: Consilium vero pro temporibus subsequenter, quibus ad Ss. Pontifices, et Episcopos pertinet judicare an expediat ut fidelis discedat ab infideli, quae postrema opinio longe magis nobis arridet.

Quaeres 8. quandonam conseatur dissolutum vinculum Matrimonii inter conjuges, quorum unus convertitur ad fidem, alter vero nec convertitur, nec vult cohabitare cum fideli: an ipso jure ac statim post baptismum, an vero post contractas secundas nuptias: et an necesse sit prius moneri conjugem infidelem.

Resp. ad primum: jure ipso per Baptismum non dissolvi tale Matrimonium, sed per subsequentes nuptias. Ita colligitur ex cap. *Gaudemus*, ubi postquam S. Pontifex Innoc. III, exposuit tres casus, in quibus dissolvi potest Matrimonium inter infideles, addit: « *Quod si conversam ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelleretur.* » Ergo propter tres illas causas non erat dissolutum vinculum Matrimonii ipso jure: namque si solutum fuisset non potuisset compelli ille fidelis ad recipiendam eam uxorem, quae amplior uxor non fuisset. Neque obstat, quod cap. *Si infidelis*, causa 28, q. 2, dicatur, « *contumeliam Creatoris solvere jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur.* » Sensus quippe est contumelia creatoris justam praebere causam dissolvendo conjugio; sic tamen ut actu et re ipsa non solvatur nisi per subsequentes nuptias.

Atque hinc inferes: 1. Quamvis Ecclesiae sententia praecesserit declarans liberum esse fideli transire ad alias nuptias, non dirimi per talem sententiam prius conjugium, donec fidelis secundo Matrimonio junctos fuerit, scilicet ea agendi ratione voluit Ecclesia tempus concedere ad infideli, ut converteretur ad fidem, et remaneret cum suo priori conjugem. 2. Si ante Matrimonium a fideli contractum, transeat infidelis alia vota, ea fore irrita, atque si postmodum ad fidem ille converteretur, separandos esset a secunda illa uxore, quia privilegium dissolvendi prius Matrimonium per subsequentes nuptias in

casu proposito, non est a Christo indultum infidelibus, sed fidelibus, in gratiam scilicet fidei, sicut expresse habetur, c. *Quanto, de Divor-tiis*. Inferes 5. Non teneri fidelem qui legitime ad aliud Matrimonium transiit, quod infidelis monitus legitimam habitationem denegaverit, soluto per mortem isto secundo Matrimonio, redire ad priorem conjugem infidelem etiam si tunc ad fidem converteretur. Ratio est, quia prius illud Matrimonium legitime dissolutum fuit: ergo liber est, ut redeat vel non redeat ad illam, interveniente secundae uxoris morte.

Resp. ad secundum, monendam esse uxorem infidelem, an velit legitime cohabitare, priusquam secundae nuptiae celebrentur: nisi forte non posset moneri, sive propter periculum evidens aut vitae, aut subversionis, sive propter locorum distantiam, etc. Ita Gregor. XIII, ejus epistolam describit Basilius Pontius, l. 7, c. 48, n. 23.

Quaeres 9. an solvatur Matrimonium contractum in infidelitate, quando alter conjux religionem solemniter profitetur, aut sacros ordines suscipit, vel obstringit se voto castitatis.

Resp. 1. solvi tale Matrimonium per solemnem religionis professionem: quia eadem est ratio Matrimonii apud infideles etiam consummati, quae ejusdem non consummati apud christianos: atque solvi Matrimonii vinculum rati, non consummati inter christianos per solemnem religionis professionem, paula post ostendemus.

Resp. 2. non solvi nec per ordines sacros, nec per simplex votum castitatis; quia nullo jure solvitur etiam inter christianos, sive per sacros ordines, sive per votum castitatis.

Quaeres 10. an conjuge fideli ad alias nuptias transeunte, propter pervicaciam et infidelitatem obfirmatum alterius conjugi animum, liceat ipsi quoque infideli aliud inire Matrimonium.

Resp. affirmative: quia vinculum conjugale aequaliter ex utraque parte aut stat aut solvitur; ergo cum in casu proposito dissolutum sit ex parte fidelis, necesse et illud quoque dissolvi ex parte infidelis, qui nullo jure prohibetur ab aliis nuptiis celebrandis.

*De firmitate vinculi conjugalis apud Judaeos : an dirimeretur
per libellum repudii.*

Quamquam repudii et divortii nomen promiscue interdum usurpetur, nonnihil tamen discriminis inter utrumque statui debet: divortium quippe separationem quoad *thorum* et cohabitationem: repudium vero quoad vinculum et foedus eandem separationem denotant.

Concessum fuisse Judaeis uxores suas repudiare hoc manifestum est ex, cap. 24 Deuteron., v. 1, ubi sic statuit Moyses: «*Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.*» Inde Pharisei tentantes Christum, Matth. 19, vers. 3, interrogant: «*Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa.*»

Libelli hujus traditur haec fuisse forma: «*Ego dedi ei libellum repudii in manu, schedam abscissionis, et signaculum divisionis, ut sit a me abjecta, et abeat quocumque voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisquam prohibere praesumat, juxta constitutionem Moysi et Israel.*» Apud Romanos haec brevis erat scribendii formula: «*Res tuas tibi habeto, vel tibi agito.*»

Ut autem legitime daretur libellus ille repudii, servanda erant quae prescripserat Moyses: 1. quidem, ut nonnisi a marito daretur. solis quippe viris permittebatur uxores repudiare, non uxoribus viros. 2. Cum libellus hic repudii nonnisi subducta ratione et animo sedatiore dari deberet, voluit Moyses, ut scripto daretur, tum ut, ait S. Aug., l. c., de sermone Domini in monte, cap. 14: «*Iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret.*» Qua de causa docet idem S. Aug., lib. 39, contra Faustum, cap. 26, necesse fuisse ut libellus hic exararetur a scribis publicis, quorum partes erant judicare an justae forent, vel injustae repudii causae; ita ut si justae non forent libellum non scriberent, sed conjuges ad pacem et concordiam potius revocarent: tum ut haberet uxor repudiata publicum instrumentum, quo constaret se a marito dimissam ac liberam esse alteri nubere. 3. Debebat libellus repudii scriptus dare ipsimet repudiatæ,

nempe ut ipsa omnibus notum faceret se liberam esse a priori vinculo, neve repudians id negare posset, et litibus et adulteriis via praeccluderetur. 4. Debat dari ex gravi et justa causa, quae generatim exprimitur in sacre textu nomine *foeditatis*, quo non tantum fornicatio vel adulterium, sed quaelibet alia notabilis turpitudine corporis vel animi denotatur. Necesse vero non erat causam hanc distincte in libello exprimi, ne forte noceret secundo illius mulieris Matrimonio. Ita censet S. Th., in 4, dist. 33, quaest. 2. Plura de forma repudii apud Judaeos videri possunt apud Abulensem, in cap. 19 S. Matth., q. 52 et seqq., ubi fuse illa exponit.

En quaestionis praesentis status circa quam variae sunt opiniones.

Prima utramque partem affirmantem et negantem problematice defendit, utriusque solvens argumenta, et neutram definiens. Ita S. Th., in 4, dist. 33, q. 2, art. 2, q. 2.

Secunda, docet repudium fuisse permissum, non tamquam rem licitam, quae sine culpa fieri posset, sed tamquam minus malum ad fugienda majora: adeoque minime dissolutum fuisse apud Judaeos per libellum repudii conjugale vinculum. Ita S. Hyeron, l. 4 Commentarii in Matth., cap. 5, et l. 3, cap. 19, et l. 5, adversus Juvenianum, observat quasdam repudiatas altero nuptiarum die iterum nupsisse: « *Uterque*, ait S. Doctor, *reprehendus maritus, et cui tam cito displicuit, et cui tam cito placuit.* » S. Bonav. et alii bene multi quos appellat Sanch., l. 10, disp. 1, num. 5, in eandem descendunt sententiam, quibus accedunt inter recentiores Estius, in 4, dist. 33, q. 9; Sylvius in Suppl. S. Th.

Tertia opinio existimat nec omnino licitum fuisse, nec omnino prohibitum, sed dispensatum esse a Deo, ne repudium illud culpam venialem eccederet. Ita Cajetanus in c. 19. S. Matth.

Quarta denique putat repudium apud Judaeos, Deo dispensante propter duritiam cordis eorum, licitum fuisse: ac per illud soluto prioris Matrimonii nexu, factum esse liberam ad alia vota licentiam. Ita Bellarm., lib. de Matrim., cap. 17, in responsione ad decimam quartam objectionem; Sanch., loc. mox. cit., ubi plures ejusdem sententiae laudat; Pontius, l. 7, cap. 50, et alii non pauci cum quibus sit

CONCLUSIO.

*Libellus repudii, soluto vinculo conjugali, non tantum Judaeis
permissum fuit, sed etiam, Deo dispensante, lipitus.*

Probatur 1. ex mox citatis Scripturae verbis, Deut. 24, quae proprio et nativo sensu non significant tantum permissionem minoris mali ad fugiendum majus, sed licentiam seu facultatem juris. Debent autem intelligi sensu proprio et naturali, quantum fieri potest, juxta regulam generalem de verbis Scripturae interpretandis, traditam a S. Augustino, l. 3, de doctrina christiana, c. 10, praesertim vero in legibus, quae clarae esse debent: neque vero aliter loquitur Moyses cum res exponit, quas non modo permitti vel tolerari, sed etiam licitas esse, non negant ad versarii.

Confirmatur 1. ex eodem, c. 24 Deuter., ubi post verba citata, mulier dimissa dicitur alterum maritum ducere: «*Cumque egressa, inquit Moyses, alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam... non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.*» At nisi dissolutum supponit Scriptura prius Matrimonium, quomodo eum, quem mulier repudiata secundo ducit, maritum appellaret, qui proprie maritus non fuisset in adversa sententia, sed adulter? Quomodo prius maritus prohiberetur recipere redeuntem uxorem, si vere uxor etiam post repudium fuisset.

Confirmatur 2. ex formula ipsa libelli, dicitur enim «*scheda abscissionis, signaculum divisionis,*» qua vir dimissae uxori faciebat potestatem ducendi alium virum; quae certe forma clarissime indicat vere dissolutum fuisse prius vinculum.

Probatur 2. rationibus, quas hic adducit Bellarminus.

Prima est, quia si vinculum per libellum repudii solutum non fuisset, et permissio valde inaequalis, ne dicam iniqua, et conditio mulierum dura maxime fuisset: siquidem viris tunc temporis licebat plures simul habere uxores; una igitur a consortio tori rejecta, potuisset vir alias advocare: at mulieri usquam licuit simul plures habere viros; quae igitur repudiata fuisset, absque spe alterius conju-

gis, vivente priori marito, remansisset, et ita coacta fuisset perpetuò continere ac coelibem vitam agere tunc temporis inusitatam maxime ac infrequentem, quod certe durum maxime videtur.

Secunda, quia lex vetus non damnabat nec puniebat nuptias repudiatarum cum aliis viris; ut patet ex cit. cap. 24 Deut. Legitime ergo illae erant; alias publica et aperta adulteria lex tolerasset, nec prohibuisset, quod certe nemo dixerit de illa lege, quae jubebat mulierem adulteram lapidari.

Tertia, quia lex prohibebat, ne repudiata post mortem secundi mariti posset a priori recipi; et quidem ita prohibebat, ut simul indicaret grave peccatum esse si id fieret, ut constabit expendenti cit. c. 24 Deut. At si per repudium non solvebatur vinculum conjugii, non erat peccatum, nec prohibendum, imo potius optandum, ut uxor rediret ad suum verum ac legitimum maritum.

Quarta, quia mirum esset neque Moysen, neque Prophetas, qui alia vitia populi tam libere reprehendebant, numquam palam reprehendisse ista adulteria quae tam frequentia erant cum repudiatis.

Quinta juxta legem Levit. 21, latam sacerdos non poterat in uxorem ducere viduam, aut repudiatam, aut meretricem, sed virginem dumtaxat: ex qua lege videtur omnino colligi, licuisse aliis ducere repudiatam, quemadmodum licebat ducere viduam.

Sexta, Abraham, jubente Deo, repudiavit Agar, quam duxerat in uxorem, neque probabile videtur coactam illam fuisse perpetuo continere. In idem fere recidit septima ratio. Exodi nempe 21, lex divina constituit, ut si dominus servo dederit uxorem, et ea peperit filios, anno septimo servus egrediatur liber, sed uxor et filii sint domini, atque ita privabatur vir ille uxore, et filiis: quod si vinculum non solvebatur, cogeatur mulier illa sine ulla culpa coelibem ducere vitam, quod certe a moribus prisca populi alienum maxime fuit. Dicendum igitur Deum eo tempore facile dispensasse circa vinculum, sicut dispensaverat circa polygamiam.

Hanc porro repudii legem abrogavit Christus in nova lege Matth. 19, v. 8 et 9: *« Moyses, inquit, ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et*

aliam duxerit, moechatur. » Per Christum igitur non tantum apud christianos, sed etiam apud Gentiles illicita sunt repudia, restituto nempe Matrimonio primaevae suae firmitati, quam trahit ex lege ipsa naturali; unde testatur Sanctus Augustinus, lib. de fide et operibus, cap. 1, in Africa non admissos ad baptismum Gentiles, qui, dimissis primis uxoribus, cum secundis nuptias contraxissent, nisi istis rejectis ad primam eamque unicam rediissent. « *Ad hanc, inquit, videntur disputationem impulsæ, quod eos moverit non admitti ad baptismum, qui, dimissis uxoribus alias duxerint; vel foeminas quae, dimissis viris, aliis nupserint, quia haec non conjugia, sed adulteria esse Christus Dominus sine ulla dubitatione testatur.* » Idem apertissime docet Innocent. III, cap. *Quaedam de divortiiis*, cum de repudiata ab infideli sermo esset: « *Qui autem, inquit, secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, numquam ea vivente potest alium, etiam ad Christi fidem conversus, habere.* »

Solvuntur objectiones.

Objicies. 1. Cum Judaei, Matth. 19, vers. 7 Christo objecissent Moysen mandasse dare libellum repudii, Christus 1. verbum *mandavit*, quo usi erant Judaei, mutavit in verbum *permisit*. **2.** Ait Moysen istud permisisse ad cordis duritiam. **3.** Ab initio non ita fuisse; quibus certe indicasse videtur Christus libellum repudii Judaeis permissum non fuisse tamquam aliquid licitum, ad excusationem culpae, sed tamquam minus malum ad immunitatem poenae.

Resp. Nego Conseq. 1. quidem non sine causa verbo *mandavit* substituit Christus verbum *permisit*, ut nempe significaret Moysen non jussisse seu mandasse, sed tantum permisisse Judaeis, ut si vellent, legitima de causa uxores suas dimitterent. Hoc quippe verbo *permisit* demonstrare voluit Christus, non quod sibi ipsi grata foret lex illa repudii, sed quod gens ea cervicosa, malisque moribus enutrita meliorem accipere recusaret: unde addit, ad duritiam cordis Judaeorum datam hanc a Moyse licentiam, nempe ad praecavenda majora mala, et pericula uxorum, quas per iracundiam interfecissent, si perpetuo eas sibi exosas retinere coacti fuissent, ait S. Jo. Chrysostom,

lib. de Virginitate. Quae durities tametsi mala foret, permissio tamen facta ipsius causa, excusabat a peccato, sicut docet S. Thomas, in 4, distinct. 33, quaest. 2, art. 2, quaestioneul. 2, ad 4: «Sicut, inquit, quaedam permittuntur infirmis corporaliter, quae non permittuntur sanis, nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta utentes.» Denique merito adjungit Christus «*ab initio sic non fuisse,*» quia nempe haec lex repudii adversatur primaevae institutioni Matrimonii, quae ante Moysen integra et illaesa permanserat, in qua ut dispensaret, fecit dura et pervicax Judaeorum indoles. In evangelica vero lege Christus revocavit Matrimonium ad suam primaevam institutionem et perfectionem.

Objicies 2. Deut. 24, v. 2, uxor repudiata, quae cum altero nupsit, dicitur «*polluta, et abominabilis coram Domino.*» «*Cumque,* ait sacer Contextus, *egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.*» At non alia certe de causa polluta et abominabilis dicitur illa mulier, nisi quia secundae illius nuptiae, vivente adhuc priori marito, non erant legitimae; sed vera adulteria; unde mulier repudiata, et cum altero nubens comparatur a Jeremia cum fornicariis, cap. 3, v. 1: «*Vulgo dicitur, inquit, si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit alterum, numquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.*»

Resp. 1. cum S. Thoma articulo mox citato, quaestioneul. 3, ad 5, repudiatam quae alteri nupsit, dici pollutam et abominabilem coram Domino, legaliter; eo fere modo quo immundus dicebatur in eadem lege mosaica, qui mortuum vel leprosum tetigisset, non quidem immunditia culpae, sed cujusdam irregularitatis legalis.

Resp. 2. causam, cur mulier illa repudiata, et cum altero viro conjuncta dicatur polluta et abominabilis coram Domino, non esse, quod illegitimae forent illius secundae nuptiae, sed quod Deus reditum illius mulieris ad priorem suum maritum severe prohibuisset: unde juxta hebraeum et graecum textum legitur: «*Quoniam hoc est*

abominabile coram Domino, nempe redire ad priorem illum maritum. Ratio est, quia redivus ille seu repudium cum tacita conditione redivus, sapisset non verum, sed adumbratum repudium, quasi non vere ac sincere repudiata fuisset uxor, sed alteri tantum ad tempus accommodata. Erat et alia causa cur id prohiberetur a Deo, nimirum quia faciliorem aditum, et latiore viam aperuisset repudiis: facilius quippe dimisissent uxores si spes fuisset eas recuperandi post secundas nuptias.

Ad confirmationem ex *Jeremia*, resp. cum *Bellarmino*, Deum ita loqui quasi arguendo a minori ad majus. Quasi diceret: *« Mulier juxta legem Moysis repudiata, non potest a priori suo marito recipi; ego tamen recepturus sum in gratiam populum Israel post suam fornicationem cum pluribus amatoribus, tametsi major sit ratio, qua moveri possem, ut eum non admitterem: hoc est, pro singulari mea clementia et benignitate volo cum populo meo reconciliari, non obstante multiplici idololatia, in quam prolapsus fuerat. »* Finis igitur hujus comparisonis non est, ut assert *Propheta*, mulierem dimissam et cum altero conjunctam eo ipso fornicare, sed ut ostendat majorem esse Dei, quam legis mosaicae benignitatem, cum Deus in gratiam suam populum tam contumacem ac rebellem adhuc recipiat. Lex vero prohibeat uxorem repudiatam a viro suo recipi.

Objicies 5. non aliter permittit Deus Judaeis dimittere uxores suas, *Deut. 25*, quam usuras accipere ab alienigenis, *Deut. 23, v. 19*. Atque usuras numquam sic permisit Deus ut licitae forent, sed tolleravit dumtaxat tamquam minus malas comparate ad eas, quas in fratres suos exercere parati erant prae sua duritia et avaritia.

Resp. nego maj. nam quaelibet usurae absolute et absque ulla discretionem fratris vel extranei damnantur in lege veteri, *Ps. 24, v. 5*, et *54, v. 12*. *Ezechielis 18, v. 9*. Non ergo sine culpa exercebantur a Judaeis etiam in extraneos, licet absque ulla punitione. At non ita est de repudio, quod nullibi in lege veteri damnatur tamquam malum et illicitum.

Objicies 4. si, dispensante Deo, libellus repudii solvisset apud Judaeos vinculum conjugale, nullum tunc temporis fuisset discrimen inter Matrimonium et solutam fornicationem: in eo enim tantum

distat conjugalis unio a fornicaria, quod ista solvi possit et debeat, cum nulla sit lege adstricta; illa vero solvi non possit. At non stat discrimen illud juxta sententiam, quam hic propugnamus.

Resp. neg. major. Tum quia Matrimonium ex se propriaque conditione firmitatem perpetuam exigit, atque per accidens est quod possit dissolvi; non ita fornicatio, quae omni lege soluta est. Tum quia Matrimonium in se bonum est ac honestum: non ita fornicatio, quae ex se mala est. Tum quia mutua esse debet inter conjuges fides et obligatio: non ita inter fornicarios. Tum denique quia filii ex Matrimonio suscepti legitimi sunt, spurii vero qui ex fornicatione.

*De firmitate vinculi conjugalis apud christianos:
an solvatur per adulterium.*

Priusquam ad rem catholicam accedamus propius historice referemus, qui, sit implicatae hujusce quaestionis status, qui Novatorum error, quae diversae catholicorum sententiae.

*Quaestionis status, error Novatorum, ac catholicorum
diversae referuntur sententiae.*

Observatum a nobis non semel fuit obscurissimam et implicatissimam Augustino visam fuisse praesentis quaestionis solutionem: «*Quisquis, inquit, lib. de fid. et operib., cap. 19, etiam uxorem in adulterium deprehensam dimiserit, et aliam duxerit, non videtur aequandus eis, qui, excepta causa adulterii, dimittunt et ducunt: et in ipsis divinis Scripturis ita obscurum est, utrum et iste cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quantum existimo venialiter ibi quisque fallatur;*» et lib. Restit., c. 57: «*Scripti, inquit, duos libros de adulterinis conjugiiis, quantum potui secundum Scripturas, cupiens dissolvere difficilissimam quaestionem. Quod utrum enodatissime fecerim, nescio; imo vero me non pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio; quamvis multos sinus ejus aperuerim quod judicare poterit, quisque intelligenter legit.*» Ita timide ac modeste de se ipso sentiebat S. Augustinus, in hac praesenti enodanda

quaestione, in qua venialiter quemque falli etiam aetate sua proficitur, quod nempe nondum plane eliquata fuisset, ac solemnī Ecclesiae totius iudicio definita.

Dubium vero et ancipitem fecit apud veteres non paucos quaestionis hujus solutionem obscura Christi apud S. Matth. 19, sententia: « *Quicumque, inquit, dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* » Quae exceptio, « *nisi ob fornicationem* » videtur innuere propter fornicationem licitum esse uxorem dimittere, et aliam ducere. Nodus igitur difficultatis in eo versatur potissimum, quod nempe in adducta Christi sententia exceptio haec « *NISI ob fornicationem*, referenda sit, an tantum ad verbum *dimiserit*, ita ut sensus sit: cum qui uxorem dimiserit propter aliam quam fornicationis causam, moechari, etiamsi aliam non duxerit, quia uxorem sic dimittendo, ad moechandum inducit: an ad verbum *duxerit*, ita ut sensus sit; eum non moechari, qui propter fornicationem uxorem suam dimittit, et aliam ducit.

Talem esse praesentis controversiae statum dilucide aperiunt Patres Concilii Foro Juliensis, an. 794, c. 10: « *Quoniam, inquit, ambiguus interponitur sermo, id est, nisi ob fornicationem quaeri potest utrum ad solam licentiam dimittendi uxorem, an etiam ad utrumque dictum refertur, hoc est ad aliam vivente illa accipiendam, quasi dixerit; qui dimiserit uxorem suam et aliam nisi ob fornicationem duxerit moechatur.* » Hunc vero nodum solvunt adducta S. Hieronymi auctoritate: « *Unde patenter datur intelligi, inquit, quamdiu vivit adultera non licere viro impune secundas contrahere nuptias.* »

Multi nihilominus obscura Christi sententia decepti, aut in alias abire partes, aut sic implicite et ambigue sunt locuti, ut vix certam aliquam et fixam ex eorum verbis sententiam edicias: atque hinc tam varii sunt ac discrepantes nostri theologi in exponendis eorum veterum ea de re testimoniis.

Ac primum quidem ex veteribus haereticis Ebionaei, teste S. Epiphano, haeres. 30, n. 18: « *Non unis dumtaxat nuptiis affinitates inter se conjungebant, sed si cui divortium facere libuerit, ac novum inire Matrimonium ad tertias et septimas usque nuptias per mittebant.* »

Marcioni pariter objicere videtur Tertullian., l. 4, advers. ipsum,

cap. 34, quod Matrimonia dissolveret: «*Si omnino negas, inquit, permitti divortium a Christo, quomodo tu nuptias dirimis?*»

Ex Novatorum pariter posteriorum temporum Lutherus, referente Bellarmino, lib. de Matrim., cap. 15, scripsit, an. 1523, librum in cap. 7 prioris epistolae S. Pauli ad Corinthios, in quo docet dissolvi Matrimonium, et novum inire his de causis: «*1. Cum falsus christianus conjugem christianum deserit. 2. Si conjux conjugem ad furtum vel aliud peccatum inducit. 3. Si ob frequentes rixas molesta est ac gravis cohabitatio. 4. Si unus conjux diu absit.*» In libro vero de Captivitate Babylonica, cap. de Matrim., scribit: «*Errare Papam cum divortium concedit extra causam fornicationis, quam solam Dominus excipit;*» et in libro quem de causis Matrimon. edidit an. 1531, docet «*pauperem qui cum divite Matrimonium inivit et consummavit, posse ad aliud se transferre si non potest retinere conjugem divitem, eo quod affines vel amici ipsius impediant.*»

Martinus Bucerus, in cap. 19 S. Matth., contendit posse dissolvi Matrimonium et aliud contrahi, «*quoties uxor non se commodum viro, aut vir non se commodum uxori praebet.*»

Philippus Melanthoni in locis theologicis, titulo de conjugio, in duobus dumtaxat casibus permittit aliud iniri Matrimonium, etiam priori uxore adhuc vivente. Primus, «*si alter conjugum fornicetur.*» Secundus, «*si alter conjugem injuste deserat,*» idque permittit non tantum parti innocenti (in suis annotationibus ad cap. 5 Matth.), sed etiam nocenti: «*Quia, inquit, nulla est imponendi poena, quam ferre non possit,*» poenam intelligit caelibatus.

Joannes Calvinus, l. 4 Institutionis, c. 14, §. ult., «*inter longam,*» ut ipse ait, «*errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum seriem,*» quam Romana Ecclesia attexit Matrimonio, istam recenset legem, quam tyrannicam appellat, quod nempe «*viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere non liceat.*»

Calvino subscribit Martinus Kemnitius in 2 parte examinis Conc. Trid., et Marcus Antonius de Dominis Spalatensis Archiepiscopus et apostata, lib. 5 de Republica christiana, cap. 11, n. 7 et seqq. Adversus huic novatorum errorem duos Canones edidit Synod. Trid., sess. 24, quintum scilicet et septimum.

Erasmus in suis ad 7 caput prioris ad Corint. Annotationibus, aliisque in locis eidem errori, fuisse visus est. Has autem annotationes primum edidit an. 1515, biennio scilicet antequam Lutheri factio erumperet, « *ex quo intelligimus, ait Bellarmi., loc. mox cit., non Erasmus a Luthero, sed Lutherum potius ab Erasmo errorem hunc hausisse.* » Hae sunt Erasmi propositiones, quas sacra Facultas censoria nota confixit an. 1526.

Prima : « *Quae alteri viro sui fecit copiam, jam uxor esse desiit, et Matrimonii jus ademit, sibi divisa carne, cum Deus unam et indivisam esse voluit.* »

Secunda : « *Inter Evangelicos una dumtaxat caussa dirimit conjugium, hoc est violata conjugis fides.* »

Tertia : « *Uxor, quae sui corporis copiam fecit alteri, jam etiamsi non repudietur, desiit esse uxor ; et maritus qui sui corporis copiam fecit alienae, jam ante divortium maritus esse desiit.* »

Quarta : « *Quemadmodum ignis nisi caleat, ita conjugium non est conjugium, nisi ex duobus fiat unus : ex tribus aut quatuor una caro fieri non potest.* »

« Hae propositiones, ait Censura sacrae Facultatis, quatenus per eas praetendi videtur Matrimonium per adulterium dissolvi quantum ad vinculum, haereticæ sunt : est enim vinculum Matrimonii jure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus, demonstrat, cum inquit : « *His qui Matrimonio juncti sunt praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari.* » Et rursum : « *Mulier obligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* » Et eadem omnino est ratio de viro, sicut de muliere, quia ejusdem B. Pauli sententia, sicut mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; ita sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Tanta praeterea est indissolubilitas Matrimonii, ut nec per haeresim quae fornicatio est spiritualis, dissolvatur. » Hactenus censura Parisiensis.

Adversus Censuram hanc purgare se tentavit Erasmus edita Apologia, in qua non audet quidem impugnare doctrinam sacrae facultatis, quae tota est Apostoli, sed contendit immerito contrariam inferri ex propositionibus adductis, sibi quoque falso imputari, cum dictae pro-

positiones intelligi possint et debeant de separatione non quoad vinculum, ut placet Censoribus Parisiensibus, sed quoad thorum et cohabitationem. Audiatur Erasmus in citata Apologia: *« Recte, inquit, in Censura praetendi videtur. Nam revera nihil minus cogitabant illa scribens, quam quod interpretantur. Sentio eam desuisse uxorem, quae se praestitit indignam uxoris nomine et conjugii commodis: sicut filius abdicatus negatur esse filius, quod amiserit jus filii, et hominem exuisse dicimus eum, qui vehementer est inhumanus: id autem me sentire declarant verba, quae subjicio. Et Matrimonii jus ademittit sibi. Jus autem conjugii est individua vitae societas, tectum, mensa, et lectus communis, rei familiaris in partem administratio, fortunarum omnium consortium, etc. Ecce virum vocat et non virum qui excidit a fructu conjugii. Quamquam autem non possum explicare nodum, quomodo Christus loquens Judaeis, sentiat de divortio, quod manente conjugii vinculo, tantum separat ab usu Matrimonii, cum illi non aliud nossent repudium, quam unde fit jus cum alia contrahendi; tamen ita tempero sermonem, ut quod dico dirimi Matrimonium, ac fieri divortium, de separatione thori possit intelligi, nec ullum admisceo verbum, quod jus faciam iterandi conjugii. »* Sic Erasmus seipsum ab errore purgare, et Censurae Parisiensis notam a doctrina sua amoliri conatur, bonum in sensum inflexis propositionibus, quibus non immerito offensi fuerant theologi Parisienses. Sed quidquid sit de mente ipsius, eo magis observatione hic digna videtur ejus expositio, quae accommodari facile poterit multis non absimilibus veterum testimoniis pariter explicandis.

Quae vero fuerit plurimorum ex veteribus, tum Graecis, tum Latinis mens atque sententia circum solubilitatem vinculi conjugalis ex causa adulterii, non facile est definire, adeo res haec apud illos implicata et dubia, et anceps multo videtur.

Lauvojus, in tractatu, quem scripsit de regia in Matrimonium potestate, a pag. 452 usque ad pag. 523, longum et taediosum textu cathologum a Christo ad Concilium usque ad Trid. Scriptorum tum Graecae tum Latinae Ecclesiae, qui perpetua et non interrupta traditione docuerunt, ut ipsi videtur, virtute verborum Christi apud, Matth., cap. 19, propter adulterium alterius conjugum dissolvi posse vinculum conjugale, et fieri potestatem ad alias nuptias. Quod si

traditionem hanc concitate passu percurrenti Launojo quisquam occur-
rat scriptor qui aliud sentire audeat, eum, tamquam peregrinum in
doctrina Christi, ac verae traditionis ignarum, urbane et comiter, ut
assolet, excipit. Ita pag. 464, Innoc. I, p. 485; Eug. IV, pag. 508.
Censuram sacrae facultatis adversum Erasmum exagitat, « quae, in-
quit, modum excedit; ac propter tenuitatem suam, notae censoriae, et
censuram nomini nec respondet, nec respondere potest. » Quid ad haec
officiosa et urbana verba responderit sacra facultas, nos latet.

Nobis animus non est singula, quae a Launojo referuntur, expen-
dere hic, ac vindicare veterum testimonium; quorum quae clara sunt
aut decretoria pro veritate catholica, aut supprimit, aut turpiter adul-
terat, ut patet in primis ex pag. 488, ubi fide certe obliqua refert te-
stimonium Joannis VIII, S. Pont. ex epist. ipsius 65, alia vero in
sensum plane alienum detorquet, contra manifestam Auctorum men-
tem, ita certe ut si propius inspiciatur haec Launojana traditio, tota
in fumos evanescat: quae vero difficultatis aliquid habent, in respon-
sione ad objectiones inferius a nobis exponentur.

Verum unum hic praetermittere non possumus, quod Orthodoxos
omnes theologos afficere maxime debet, et adversus liberam ac in-
temperantem Launoji scribendi rationem commovere. Scilicet fingit
ille, tum Christi verbis, tum constanti, ac perpetua Ecclesiae traditio-
ne, a Christo ad Conc. usque Trid., licitum esse adulterii causa uxorem
dimittere, et aliam ducere: attamen Conc. Trid., aliter statuisse
non dissimulat Launojus. Unum ergo ex duobus sequitur in mente
Launoji, aut Conc. Trid. ignorasse veram interpretationem verborum
Christi, ac veram Ecclesiae traditionem; aut ab ea recessisse, no-
yumque confinxisse dogma; quod certe quam injuriosum sit et con-
trarium infallibili auctoritati quam omnes orthodoxi agnoscunt in
Conc. oecumenicis Ecclesiam universam repraesentantibus, nemo non
intelligit, aut saltem Conc. Trid., vere oecumenicum et infallibile non
fuisse, quod alterum temerarium et a comuni omnium Catholicorum
sensu non minus est alienum.

At paratum habet Launojus effugium: quasi enim praesensisset
concitandos in se orthodoxorum omnium animos, quod Synodus Tri-
dentina in dogmate definiendo pugnans, ac contrariam cum tra-

ditione induceret, dixit et quaestionem de solubilitate vinculi conjugalis adulterii caussa, et Canonem ea de re Tridentinum, non dogma seu doctrinam, sed meram spectare disciplinam, quam potuit Synodus pro jure suo immutare, absque praejudicio contrariae ad hoc usque tempus et traditionis et praxis. « *An autem, inquit pag. 320, Canonis istius argumentum disciplinae sit vel doctrinae, haud difficile constabit ei, qui derivatae ab initio Ecclesiae circa Matrimonii dissolutionem traditionis monumenta primum revolvat, deinde revoluta monumenta illis aptabit regulis, quas Trident. Concil. ad sancendum dogma vel disciplinam ;* » Sess. 4, 5, 7 14, cap. 1 et 5; Sess. 21, cap. 4; Sess. 23, c. 1; Sess. 24, in doctrina de sacramento Matrimonii praescripsit.

Verum si vel minimum ad verba Canonis septimi attendisset Launojus, tale non excogitasset figmentum. « *Si quis dixerit, ait Canon, Ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit.* » Haec ne quaeso verba, disciplinam expriment, an dogma? Quod Ecclesia docet *juxta Evangelium et apostolicam doctrinam*, nonne dogma seu doctrinam spectat? Sed de hoc Launojano figmento plura inferius, cum dogma catholicum demonstrabimus: unum obiter observa, Launojum non satis se reverentem erga patres tridentinos demonstrare, cum eos nobis veluti dubios et incertos repraesentat, tum circa doctrinam, tum circa praxim indissolubilitatis Matrimonii ex caussa adulterii. Postquam enim narravit ex Pallavicino qua ratione ad postulationem oratorum reipublicae Venetae temperatus et immutatus sit Canon, sic porgit pag. 517: « *Venerorum oratores, magna quidem suis ad Tridentinos Patres admotionibus consequuti sunt, majora consequuturi sine dubio, si Orientalis Ecclesiae opportunitatibus Romanae et Occidentalis Ecclesiae opportunitates admiscuissent.* » Et quid tandem, Launoje, consequi potuissent? Ut permitterent dissolvi apud nos Matrimonia propter adulterium? At erras haud dubie, et abjecte omnino, ac temerarie de patribus tridentinis auguraris: nusquam illi certe permississent, quod declarant adversari *evangelicae et apostolicae doctrinae*. Sed de Launojo satis. Quale vero ferendum sit judicium de sententia veterum,

tum Graecorum, tum Latinorum circa praesentem nostram controversiam, jam exponendum.

Graecos in ea jam diu versari sententia et praxi, ut dissolvant vinculum conjugale propter adulterium, res est apud omnes certa, de qua Goarius in Notis ad Euchologium Graecorum, pag. 384. Jam anno 1439 tempore nimirum Florentinae Synodi, in ea sententia illos fuisse colligimus ex sess. 25 dictae Synodi, ubi post editam fidei definitionem, inter quaestiones undecim, quas Latini Graecis proposuerunt, haec decima legitur. « *Quare conjugia dirimitis, dicente Domino: Quod Deus conjunxit homo non separet?* » Quaestiones autem illas Mitylinensis Antistes canonicè legitimeque dissolvit; praeterquam duo, cur scilicet Matrimonia dirimantur, et Patriarcha non eligatur.

Si vero primam hujusce praxis ac doctrinae Graecorum quaeras originem, non ita facile erit eam assignare. Graeci recentiores perpetuam vel ab initio et constantem apud se fuisse gloriantur: e contra Arcudius de Matrimonio, cap. 13 et 14, adductis in medium veterum Ss. Patrum Ecclesiae Graecae testimoniis, contendit recentiores a doctrina majorum suorum recessisse; et capitibus 21, 22, 23, 24 et 25, solvit, quae ex Ss. Basilio, Gregorio Nazianz., Jo. Chrysostomo et Epiphanio solent objici. In hac sentiendi varietate haec videntur nobis certius et tutius posse affirmari.

1. Incertum omnino esse quo primum tempore apud Graecos pervaserit atque invaluerit praxis dissolvendi Matrimonia propter adulterium. Origenes quidem Commentario in Evangelium S. Matth. editionis Huetianae, pag. 363 et 364, narrat, sua aetate quosdam Antistites permisisse mulieri, vivente viro, alteri nubere; at neque causam assignat hujus licentiae, et praeterea diserte observat *contra Scripturae legem* hoc factitatum fuisse; unde datur intelligi, non tunc plane approbatam et confirmatam fuisse hanc sententiam.

2. Lege civili per Justinianum Imperatorem lata sexto saeculo, certis de caussis licitum fuisse, repudiata uxore, aliam ducere, omnes fatentur: imo vel ipsa S. Jo. Chrysostomi aetate, hoc est quarto saeculo, talem extitisse legem testatur ipse Homil. in illud Apostol. Cor. 7: *Mulier alligata est Legi*, etc. Verum repugnasse Ecclesiasticam legem aperte ibidem profitetur, ostendens quippe sola morte

dissolvi posse conjugium, sic loquitur. » *Sane scimus, quod nullis novum et inexpectatum videbitur, quod dicimus....* » Et postea : » *Ne mihi leges ab exteris conditas legas, praecipientes dari libellum repudii, et divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit.* » Itaque aetate Jo. Chysostomi Graeca Ecclesia non approbabat legem repudii ab Imperatoribus latam. Eodem saeculo adversus eandem legem pariter invehitur S. Gregorius Nazianz., sicut et in Ecclesia Latina antea citati Ss. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus, etc. Susplicari non immerito possumus, ex istis civilibus legibus multum roboris accepisse corruptam Graecorum praxim, atque sensim sine sensu Episcopos, ne luctari cum principibus viderentur, eorumque leges improbare, suo silentius abusum tolerasse, qui lapsu temporis tam alias egit radices ut evelli illum aliquando posse vix sperare audeamus.

3. Nec Nicolaus I, in dissidio quod habuit cum Photio, nec Innocentio III in Concilio Lateranensi, nec Gregorius X in Lugdunensi, Graecis objecisse leguntur, quod adulterii causa Matrimonia solverent, sive quod reipsa tunc ea praxis apud ipsos non vigeret; sive quod ex oeconomia quadam, et dispensatione propter leges imperatorias, dissimulare istud voluerint Ss. Pontifices.

4. Ann. 1297, Clemens IV in ea fidei expositione quam pro Graecis misit ad Michaellem Paleologum imperatorem, non aliam affert soluti conjugii causam, quam mortem, apud Raynaldum tom. 14, ad annum Christi 1267 num. 7, et seqq. Non aliam pariter proposuit ann. 1294, in Concilio Lugdunensi Gregorius X.

5. Denique, stante Concilio Tridentino Graecos, qui sub ditione Reipublicae Venetae degebant, in sententia et praxi contraria fuisse, et in eorum gratiam ad postulationem Oratorum dictae reipublicae canonem Tridentinum, qui primo conditus fuerat cum anathemate adversus eos, qui dicerent dissolvi Matrimonium adulterii causa, temperatum at immutatum fuisse, narrat Pallavicinus, lib. 22 Hist. Concilii Tridentini, cap. 4, num. 27, de qua mutatione dicemus inferius.

Ex his inferes. 1. veteres omnes Graecos recentioribus dimittendos non esse, ut placet nonnullis ex nostris, qui existimant diversam esse utriusque Ecclesiae Traditionem circa rem praesentem, atque

aliter Graecos, et aliter Latinos verba Christi apud S. Matth. cap. 19, interpretatos fuisse; graecos de dimissione quoad vinculum, latinos vero de sola dimissione quoad thorum et cohabitationem. Si ita est, pugnat ergo secum apostolica traditio, et aliud ad latinos, aliud ad Graecos dogma transmisit, quod certe fingerè perabsurdum est, una quippe ac simplex est veritas.

Inferes 2. Si qui ex veteribus Graecis obsurius in re nostra locuti sunt, ut certe locutos illos fuisse quilibet aequus aestimator agnoscet, eos vel benigne, si fieri potest, explicandos, ut fecit Arcudius: vel saltem dicendum, in re obscura et nondum definita, eos dubios et ancipites esse, ex quorum proinde verbis nullam certam, ac determinatam elicias sententiam contra catholicam doctrinam.

Inferes 3. utrumque extremum hic declinandum; alterum Lanoji qui omnes veteres Graecos dissolutioni Matrimonii, adulterii causa, fuisse contendit; alterum Arcudii, qui ne unum quidem, qui sit alicujus nominis, sine aliqua benigna interpretatione, dimitti permittit. Laudamus quidem conatum sed vanum aestimamus: neque vero quidquam causae catholicae deperit, si fateamur in re obscura et nondum clare definita, aliquos etiam sanctitate conspicuos, in errorem lapsos esse, quod certe in aliis doctrinae catholicae capitibus, v. g. Baptismo haereticorum, beatitudine non protrahenda ad diem ultimi judicii, et aliis hujusmodi, viris alioqui summis contigisse omnes consentiunt. Errare quippe humanum est: at nusquam errat Ecclesia universa, cujus fides non ex privatorum dictis, sed ex communi fidelium et Episcoporum sensu debet aestimari; atque haec de sententia graecorum historice exponenda erant: nunc de sententia Ecclesiae latinae.

Quamquam in confesso sit apud omnes Ecclesiam latinam firmiter et constantius vel ab initio in ea fuisse sententia, non dissolvi per adulterium vinculum conjugale; non omnibus tamen veteribus Latinis eundem fuisse sensum judicant ex nostris viri eruditi; quibus videtur dogma istud prioribus saeculis non satis certum, distinctam et evolutum fuisse: varii varia eam in rem proferunt testimonia. Ac primo quidem in Africa Pollentius, quem sanctus Augustinus, lib. 2, De adulterinis conjugis, cap. 1, *fratrem religiosum vocat*, dubius et

anceps ea de re S. Augustinum consuluit; sanctus vero ille Doctor, post accuratam meditationem et disquisitionem candide declaravit sibi obscurissimam et implicatissimam videri quaestionem hanc, cujus omnes sinus nondum perspexit, et in qua quisque venialiter falli potest. Ita passim, lib. 1, De adulterinis conjugiiis, cap. 25, lib. de fide et operibus cap. 19, et lib. 2, Retrattationum cap. 57, verba superius laudavimus.

Sixto Senensi, lib. 6 Bibliothecae, annotatione 84, adeo explicatur difficiles visi sunt nonnulli canones antiqui, ut asseruerint patres et concilia ad tempus, ne graviora damna sequerentur, permisisse repudia, atque secunda conjugia.

Covarruvias 2 parte de Matrimonio, §. 6, num. 15, hanc pariter mentem Conc. Eliberitano affingit.

Maldonatus Commentario in cap. 19, S. Matth. in rem eandem citat Tertullianum lib. 4 contra Marcion. Conc. Eliberitanum. Concil. Aurelianense I.

Sirmondus in notis ad epist. 49. Alcimi Aviti Viennensis ait: *«tum ex Avito, tum ex Concilio Venetico, quod habitum est ann. 465, patere persuasum adhuc illis temporibus in Gallia fuisse, propter fornicationem separari virum ab uxore et aliam ducere, Christi permissu licuisse.»*

Petuvius in notis ad haeresim 59 S. Epiphani: *«Inter Veterum, inquit, testimonia, quibus post legitimum divortium permessa innocentibus conjugibus Matrimonia videntur, referrí potest Arelatense primum Concil. ann. 414 Can. 10, qui hic, pergit auctor, obiter est emendandus:»* adjecta scilicet particula *Non*, qua innuitur non prohibitos fuisse nubere eos, qui conjuges suas in adulterio deprehenderunt. Sed de hoc Can. infra in responsione ad objectiones.

Cottelerius Sorbonicae societatis Theologus in notis ad lib. 2, Hermae, ad mandatum 4, num. 1, postquam dixit. B. Augustinum, in duplici libro de adulterinis conjugiiis rem nostram ex professo ita egisse, ut ad idem sentiendum omnes propemodum Latinos antiquos et recentiores adduxerit, subinde tamen multos ipse appellat, quos [arbitrat in aliena fuisse sententia, nempe Lactantium, patres Concilii Venetici; Synodum S. Patricii, Concil. Bituricense, Synodum Ro-

manam sub Leone IV, Theodorum Cantuariensem, Concilium Vermericense Can. 5 et 9, et Compendiense can. 16.

Launojus denique, de quo antea, longam seriem scriptorum Ecclesiae utriusque enumerat a Christo ad Concil. usque Tridentinum, quos putat favisse solubilitati Matrimonii.

Haec autem historice hic referimus, ut pateat, quale sit nonnullorum ex nostris de sententia Veterum circa indissolubilitatem matrimonii iudicium; absit enim, ut eos omnes dimittamus, quos illi appellent.

Quos hactenus laudavimus scriptores, non tam suam, quam veterum exponunt doctrinam, atque sententiam; verum tres sunt inter catholicos qui privatam suam opinionem paullo liberius, ne quid amplius dicam, aperiunt, Cajetanus scilicet, Catharinus, et Launojus ipse antiquorum interpretes.

Cajetanus, Commentario in cap. 19 S. Matth. totus in eam propendit sententiam, posse dissolvi Matrimonium propter adulterium quamquam timide eam proponat: « *Quoniam inquit, non audeo opponere me contra torrentem Doctorum, et iudiciorum ecclesiasticorum, ideo dixi textum (S. Matth. 19) nihil deponere de dimittente fornicariam. Intellego igitur ex hac Domini Jesu Christi lege licitum esse christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, et posse ducere aliam uxorem, salva semper Ecclesiae definitione, quae hactenus non apparet.* » Ita Cajetanus, e cuius haud dubie memoria exciderat quod anno 1439 dictum fuerat in Concilio Florentino, et definitum in Decreto Eugenii S. P. Obiit autem Cajetanus anno dumtaxat 1554.

Ambrosius Catharinus in Opusculo de Matrimonio, quaest. ultim., et lib. 5 Annotationum contra Cajetanum in fine, quaestionem de dissolubilitate Matrimonii propter adulterium in utramque partem agit atque primum, tum concludit: « *Nec ex Evangelio, nec ex Apostolo posse colligi non licere in causa fornicationis aliud inire Matrimonium:* » quod tamen cum variis canonibus Ecclesiae sit prohibitum, fieri non debet nisi accedente iudicio, et auctoritate Ecclesiae. Id autem soli viro, non uxori licitum esse contendit Catharinus: ita ut solvatur vinculum ex parte uxoris, quae sine spe secundi conjugii debet remanere: Concilio Tridentino interfuit quidem Catharinus sed ad sessio-

nem uque 24, in qua definita fuit indissolubilitas Matrimonii, non supervixit.

Quia vero et Cajetanus, et Catharinus intelligebant variis SS. Pontificum Decretis nova virorum conjugia ob adulterium uxorum prohiberi; idcirco ajunt: «*Decretales pontificias hac in materia non esse definitivas fidei, sed judiciales facti: profiteri autem ipsos Summos Pontifices Romanos, a suis praedecessoribus aliquando in his de Matrimonio judiciis erratum fuisse.*» Inde est, quod uterque ille scriptor opinionem suam subjiciat Ecclesiae judicio.

Launojus denique nostris temporibus, post tam apertam Concilii Tridentinae definitionem, adhuc refragari videtur: eo plenis velis tendit praetensa quam ipse texuit traditio: «*Si ipsi fides verborum Christi apud S. Matth., cap. 19, facilis est et expeditus sensus; atque non tantum dimittendi uxorem fornicationis causa, sed etiam aliam ducendi potestatem facit;*» et pag. 528, inquit non obscure, solutionem Matrimonii ex bona gratia, id est mutuo conjugum assensu omnium primum prohibuisse imperatorum Justinianum. *Non memini inquit, legere me verum extitisse Concilium, ullumve Pontificem, qui ante Justiniani tempus solutum bona gratia Matrimonium Canone vel Decreto confixerit.*» Sic ille insinuat fuisse olim apud Christianos in usu Matrimonii dissolutionem bona gratia. Passim in suo Tractatu asserit, se legisse saepius permissum ab imperatoribus christianis repudium; at non legisse improbatam et damnatam fuisse a Summis Pontificibus et Episcopis legem illam. Quantum ille aberraret, constabit ex probationibus, quas mox subjiciemus.

*Vinculum Matrimonii dissolvi non potest propter adulterium
alterius conjugum.*

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Scripturis.

Marci 10, 11: «*Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.*»

Lucae 16, 18: «*Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur.*» Universalis est Christi propositio: «*Omnis, quicumque nullam causam excipit: Qui sumus nos, exclamat S. August. ea testimonia ponderans, lib. 1 de adulterinis conjugiiis, cap. 9, ut dicamus: Est, qui moechatur, uxore sua dimissa, alteram ducens; et est, qui hoc faciens non moechatur? cum Evangelium dicit, omnem moechari qui hoc facit.*»

Revera Matth. 5, 32, et 19, 9, excipitur causa fornicationis: «*Omnis qui dimiserit uxorem suam, inquit Christus priori loco, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat.*» Verum cum alii duo mox citati Evangelistae illius exceptionis mentionem non faciant, necesse est S. Matthaeum per illos duos exponere: atque exceptionem fornicationis intelligere, non de libertate ducendi aliam uxorem, sed tantum dimittendi adulteram, quam non ex quacumque levi causa, ut solebant Judaei, sed ex gravi dumtaxat, qualis est, v. g., fornicatio, dimitti debere Christus permittit.

Et certe, ut observat hic apposite Bellarm., cap. 16 lib. de Matrimonio, haec Christi sententia, cap. 5, S. Matth. citato: «*Qui dimissam duxerit, adulterat,*» universaliter accipienda est, vel cum exceptione. Si universe, ergo qui dimissam etiam ob fornicationem duxerit, moechatur: ergo non fuerat dimissa quoad vinculum, sed tantum quoad thorum: non enim moecharetur, qui illam duceret, nisi adhuc esset priori viro alligata. Si vero cum exceptione: ergo qui fornicariam a

viro dimissam duxerit non moechatur: ergo melior est conditio fornicariae, quam innocentis et castae: siquidem fornicaria juste dimissa libera est, et alteri nubere potest, innocens vero injuste dimissa, nec priorem virum habere potest, nec alteri nubere. Atqui absurdum istud esset, ut lex Christi aequissima dimissam injuste meliori loco esse velit quam dimissam juste. Ita Bellarminus, loco cit. et Estius in 4, distint. 38, §. 10.

Pari ratione exponi debet similis Christi sententia, cap. 19, S. Matth., v. 9: « *Quicumque, inquit, dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* » Exceptio quippe ista *nisi ob fornicationem* referenda non est ad verbum *aliam duxerit*; quasi posita fornicatione uxoris viro permittat Christus aliam ducere, sed ad verbum *dimiserit*: quia, ut diximus, non ex quacumque, sed ex gravi dumtaxat causa, v. g., fornicationis, permittit Christus, ut dimitatur uxor, etiam quoad thorum et cohabitationem.

Sic intelligenda verba esse Christi apud S. Matth, praeter alios duos Evangelistas, Marcum et Lucam, facit et auctoritas S. Pauli, qui nulla pariter adjecta restrictione, sed simpliciter et absolute pronunciat sola morte solvi conjugale vinculum, nec debere uxorem a viro recedere quamdiu ille vivit, 1. Cor. 7, v. 10: « *His, inquit, qui Matrimonio injuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit manere inuptam, aut viro sua reconciliari;* » et vers. 39, « *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit;* » et Rom. 7, vers. 3: « *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus; liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro* Haec verba Apostoli, ait S. Aug., lib. 2 de adulterinis conjugis, c. 5, toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinit uxoris prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis . . . nec carebit illo vinculo, etiamsi numquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.» Nihil potuit disertius proferre S. Doctor, ut distingueret inter separationem ratione cohabitationis, et ratione vinculi; ac ostenderet licere quidem viro separari ab uxore adultera quoad

thorum, et cohabitationem, remanente tamen priori vinculo, quamdiu illa in vivis superstes est.

Observat hic Estius, juxta Scripturae testimonia mox relata, eandem et parem esse utriusque conjugis conditionem, ut nempe neque viro dimittenti uxorem, neque uxori a viro recedenti, neque nocenti, neque innocenti liceat ad alia vota transire altero vivente conjugis; vinculum enim aequaliter utrimque obstringit, vel solvitur.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex traditione Ecclesiae utriusque tam graecae quam latinae.

Non desunt in Ecclesia Graeca, quamquam (fatendum) non ite multi, ac in latina, testes catholicae, et a vitae doctrinae circa indissolubile vinculum Matrimonii. Hos referemus, non omissis aliis qui veritatem aliquando introspexisse, aliquando retractasse, aut saltem in dubium revocasse videntur, adeo obscure et ambigue loquuntur. Itaque

Antiquissimus Hermas, lib. 2 Pastoris, mandato 4, cui titulus est *de dimittenda adultera* Ed. Cottel. p. 46 n. 4, sic Dominum interrogat: «*Si permanserit in vitio mulier?*» Et dixit: «*Dimittat illam vir, et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur. Et postea: Propter poenitentiam: ergo non debet dimissa conjuge sua, vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro et in muliere.*»

S. Justinus Martyr, apologia 2 pro christianis, p. 62, inter doctrinae capita, quae Christus circa castitatem dedit, istud recenset: «*Qui repudiatam a viro alteri nupserit adulterium committit.*» Nullam excipit causam S. Martyr, nequidem adulterium alterius conjugis. Et apologia 1, initio narrans historiam cujusdam mulieris christianae, quae a viro suo propter perditam ipsius vitam discessit, non obscure significat separationem hanc thori dumtaxat fuisse et cohabitationis, non vinculi: «*Foemina, inquit, verita ne si de caetero eodem cum illo lecto, eademque uteretur mensa, impietatis quoque ejus fieret particeps misso illi, qui apud eos (Gentiles alloquitur) dicitur repudii libello, ab*

eo sejuncta est: » quoad thorum nempe et mensam, ut ipse exponit. Non aliud igitur continebat ille repudii libellus apud Christianos, ac insipide omnino Launojus fingit hic pag. 453 tali libello licitam fuisse conjugalis vinculi solutionem: « *Alias, inquit, S. Justinus, libellum hunc ab illa muliere datum reprehendisset, si quid vel Christi Evangelio, vel derivatae ab initio christianorum disciplinae contrarium importasset:* » quem tamen non reprehendit. At prius Launojo probandum erat in mente S. Doctoris per tale libellum factam fuisse potestatem, soluto priori vinculo, contrahendi cum altero, quod certe non probavit Launojus, nec probare potuisset, cum ipsemet S. Justinus non aliam commemoret separationem tali libello contentam, quam a lecto et mensa. Unde mirari non debet Launojus, quod talem libellum non improba-verit S. Doctor: licitus quippe erat, in iis praesertim circumstantiis, in quibus erat constituta dicta mulier, quam vir ad nefandas quasque voluptates sollicitabat.

Athenagoras alter religionis nostrae Apologista, haec de moribus et institutis christianorum dicebat apud imperatores, p. 37, B: « *Ut natus est unusquisque nostrum manet, vel nuptiis copulatur unicis; secundae enim decorum quoddam adulterium sunt. Qui enim uxorem suam dimiserit, et duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noster: neque illam dimittere concedens, cujus delibata est pudicitia, neque alteram ducere.* » Non excipit Athenagoras causam fornicationis, sed absolute et indefinite loquitur. Et certe quomodo permisisset ille viro, dimissa uxore quamquam adultera, ducere aliam, qui etiam ea mortua vix secundas approbat nuptias? Haec profecto male secum cohaerent; unde ad rem suam caute et prudenter Launojus in serie suae praetensae traditionis omisit Athenagoram.

S. Clemens Alexandr. (florebat anno 220) in fine l. 2 Stromatum, p. 310, A. B. sic loquitur: « *Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, nec a conjugio umquam permittit discedere, legem aperte constituit: Non dimittes uxorem, praeterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat conjungi Matrimonio, viro altero ex separatis.* » « *At haec postrema pars, ait Launojus p. 454, debet intelligi cum exceptione memorata: nempe nisi ob fornicationem: alias, inquit, posterior pars periodi primae cum periodo prima non bene conveniret; poneretur exce-*

ptio, et statim auferretur. » Verum si quae sequuntur legisset Launojus, intellexisset facile absolutam esse postremam periodi partem; atque in mente S. Clementis, in muliere a viro dimissa propter adulterium, superesse firmum vinculum conjugale; sola dumtaxat facta separatione thori et cohabitationis. Audiatur S. Doctor. « *Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur eam; hoc est cogit eam moechari. Non solum autem qui dimisit, ex ejus caussa, sed etiam qui eam suscepit, praebens mulieri peccandi occasionem; si enim non suscipiat eam, revertatur ad virum.* » At quaeso quo jure redire illa posset ad virum suum, si omnino solum supponatur per adulterium prius conjugium? Igitur S. Clemens non existimat dissolvi tale conjugium sed potius firmum stare.

Origenes, Clementis discipulus (obiit an. 254), Commentario in Matth. editionis Huaetianae, c. 565: « *Contra Scripturae legem, inquit, mulieri, vivente viro, nubere quidam Ecclesiae rectores permiserunt, agentes contra id, quod scriptum est: Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit; et contra illud: Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Non omnino tamen sine ratione: haec enim contra legem initio latam et scriptam, ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse verisimile est.* » Agnoscit igitur Origenes esse contra legem Scripturae si mulier, vivente viro, alteri nubat: quamquam Episcopi illos qui aliud permiserunt, ad duritiam cordis, et ad vitanda pejora excusare conetur.

Haec quidem si tantum scripsisset Origenes, plana et aperta forent: verum quae citata in loco sequuntur (nihil enim dissimulandum), dubiam et obscuram nobis efficiunt sententiam: 1. enim non explicat in verbis adductis, an Episcopi illi, de quibus loquitur, permiserint mulieri, vivente viro, alteri nubere propter adulterium, aut suum, aut viri. 2. Objicienti Judaeo Christum permisisse dimittere uxorem adulterii caussa, sicut Moyses permiserat ob foeditatem, quae proprie est adulterium, respondet: 1. Nomine foeditatis Moysen non intellexisse adulterium, siquidem adultera non dimittebatur, sed lapidibus necabatur, sed quodlibet aliud peccatum. 2. Christum ob solum adulterium permisisse solvi conjugium. 3. Se valde dubium haerere, num propter alias gravissimas causas liceret uxorem dimittere, v. gr., propter

veneficium, etc. Audiatur Origenes: «*Servator noster, inquit, haudquamquam connubii solvendi propter nullum aliud flagitium facultatem concedens, quam solam fornicationem in uxore deprehensam... Quaeri autem potest, an uxorem repudiare non liceat, nisi in adulterio deprehensa sit, v. gr., propter veneficium, vel quod infantem ab utroque genitum, viro peregre profecto, interfecerit, vel ob aliam quamlibet caedem: quin et si adulterii quidem insons viri domum clam diripuisse et expilasse animadversa sit, rogaverit aliquis, an ejusmodi uxorem ex aequo et bono repudiabit, utpote vetante Servatore, ne quis, excepta fornicationis causa, uxorem suam repudiet: utrobique enim aliquod apparet absurdum, quod an revera absurdum sit ignoro, tanta enim pati et tolerare flagitia, quae adulterio et scortatione pejora censei queant, plane et ratione videbitur esse alienum; rursus contra Servatoris praeceptum agere, nemo est quin impium esse confiteatur.*» Sic dubius et anceps haeret Origenes, an nempe dimitti possit uxor propter alia gravissima flagitia: si autem de sola dimissione quoad thorum et cohabitationem loqueretur, nullus esset dubio locus. Adde quod loquatur de ea ipsa dimissione ratione adulterii in lege Christi, quam permiserat Moyses in lege veteri propter foeditatem, hoc est quodcumque peccatum propter quod uxor viro displicebat: at dimissionem illam fuisse quoad vinculum, antea ostendimus, igitur non satis clara ac perspecta hic est mens atque sententia Origenis, quamquam aliunde agnoscat et fateatur legem Christi esse, ut mulier, vivente viro, alteri non nubat, nisi velit esse adultera.

S. Greg. Nazianz., (obiit an. 389), in secundo termine, ubi recenset laudes virginitatis, et incommoda connubii, agnoscit illius insolubilitatem, dum illud vocat malum, quod aliquis sibi parat sine ulla prorsus spe repudii. Sic latine versus illos reddidit Jacobus Billius:

*Prospice quanta premant servos incommoda carnis.
Foemina non parva mercatur dote maritum,
Quodque etiam gravius, vitiosum saepe et inertem,
Rursus emenda viro conjux, nec moribus illa
Prædita saepe bonis: quesita attractaque pestis,
Pestis, quam nullam liceat ratione fugare.*

S. Jo. Crysostomus Commentario in cap. 7 prioris ad Corinthios ante citato, diserte affirmat divortium quod humanae leges permittunt, divinis prohiberi, atque Dominus judicaturum fore nos non ex humanis, sed divinis legibus.

Et hom. 17, cap. 5 S. Matth., ad ista verba: « *Qui dimiserit uxorem suam facit eam moechari:* » expresse ait: « *Mulierem expulsam semper remanere uxorem ejus, a quo expulsa est.* »

Et hom. 62 in eundem S. Matth., exponens illa verba: « *Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere:* » docet, « *mulierem etiam omni nequitia plenam perpetuo retinendam esse, quamvis onerosum illud et durum videatur. Eo igitur sensu dixit, quod nempe perseveret vinculum conjugii, etiam post dimissam uxorem.* »

Et lib. de virginitate exponens illud Apostoli ex c. 7 prioris ad Cor.: « *Is qui matrimonio juncti sunt,* » etc., diserte affirmat, quantumcumque superveniat inter conjuges discordia ac dissensio propter malos alterutrius mores, sola morte finem conjugio imponendam esse. « *For, inquit, omnem hanc servitatem, futura demum libera, cum obierit.* » Et paulo post: « *At quid, si nollet in gratiam redire? Habes alterum effugium atque evasionem. Quamnam? ejus mortem expecta.* »

Atque hic operosum non erit benigne interpretari eundem Chrysostomum, cum hom. 19 in idem c. 7, prioris ad Corint. ait: « *Per fornicationem nuptias esse dissolutas, universam nuptiarum munditiam evolasse atque discessisse: maritum post fornicationem non esse maritum,* » et alia hujusmodi, quae sunt exponenda, quomodo supra notavit Erasmus; nempe post fornicationem maritum, et uxorem non esse uxorem, quia nempe conjux adulter sibi « *ademit jus omne Matrimonii, societatem vitae individuam, tectum, mensam, communem lectum rei familiaris in partem administrationem,* » etc., uno verbo, quae hic dicit Chrysostomus, recte intelligi posse de separatione quoad thorum et cohabitationem, permanente semper vinculo conjugii.

Quae vero sit S. Basilii fixa et certa sententia vix definias: Homilia septima in Hexameron, sic loquitur: « *Quid sibi vult hic sermo? nimirum necesse esse, ut conjux maritum perferat, licet asperum, licet moribus ferum, nec ob ullam causam conjunctionem dirimere velit. Percussor est? sed vir tuus est. Temulentusne? at tibi est natura conjun-*

ctus. Durusne et implacidus? At membrum jam tuum est, et membrorum praestantissimum.»

Et lib. de virginitate circa medium pronunciat, « *mulierem quae vivente viro alteri nubit, moechari.* » Et postea : « *Non audis, inquit, quod etiam qui dimissam ducit moechatur? Etsi enim pro culpa dimissa est, attamen vivit vir ipsius :* » hoc est, eo vivente, non potest sic dimitti, ut alteri nubat.

Et Can. 48 epistolae ad Antiochum : « *Quae a marito dimissa est, Quae igitur, inquit, a marito dimissa est, mea quidem sententia manere debet (innupta). Si enim Dominus dixit : Si quis reliquit uxorem, praeterquam ratione fornicationis, facit eam adulteram, ex eo quod eam adulteram nominet, exclusit eam a societate cum alio. Quomodo enim potest vir quidem esse reus, ut auctor adulterii, uxor autem nulli esse culpae assinisque propter consuetudinem cum alio viro, adultera a Domino appellata est?* » « *Quod si, ait hic Arcadius, de Matrim., c. 13, de ea quae injuste dimittitur. Sic censet S. Basilius, profecto idem iudicium faceret, et multo magis de ea, quae justa de causa sit repudiata : non enim melioris conditionis est adultera, quam sit casta.»*

Haec revera S. Basilii testimonia rem catholicam confirmare videntur.

Verum quae idem S. Doctor asserit, Can. 8 ejusdem epistolae, mirum in modum incertam, dubiam et obscuram nobis reddunt ejus mentem atque sententiam. Namque postquam dixit parem esse debere, juxta Christi mandatum, mulieris et viri conditionem in his, quae pertinent ad conjugium, atque non licere viro uxorem, nec uxori virum dimittere nisi ex causa fornicationis, fatetur consuetudinem contrariam invaluisse, atque viris quidem licere dimittere uxores adulteras, non vero uxoribus dimittere viros adulteros. « *Consuetudo, inquit, non ita habet, sed in mulieribus quidem multum accurate et diligenter observari invenimus . . .* » Et postea : « *Consuetudo vero etiam adulterantes viros, et in fornicationibus versantes, jubet a mulieribus retineri. Quare, quae cum viro dimisso cohabitavit, nescio an possit adultera appellari; crimen enim hic attingit mulierem, quae dimisit : quam ob causam a conjugio decessit.»*

Haec S. Basilius ex quibus habes juxta Christi mandatum parem

esse debere viri et mulieris conditionem, in his quae spectant Matrimonium, atque tam virum dimittentem mulierem, quam mulierem dimittentem virum adulterari si alteri nupserit. 2. Contrariam in Ecclesia Graeca respectu mulierum invaluisse consuetudinem, nempe ut non liceret uxori quacumque ex causa a viro discedere; e contra liceret viro dimittere uxorem adulteram: cujus rei discrimen adducere difficile judicat S. Basilius, Can. 21, et non immerito quidem, cum ipse agnoscat parem esse debere, ex lege Christi utriusque conjugis conditionem. 5. In eo casu quo uxor virum dereliquisset, contra receptam consuetudinem, quaerit S. Doctor, an mulier, quae cohabitaret cum tali viro, foret adultera; rursus, an vir sic relictus qui ad aliam accessit, sit quoque adulter, aut venia dignus. Ad primum respondet timide ac cum dubitatione. «*Nescio, inquit, an possit adultera appellari.* Ad secundum vero affirmate magis, et absolute ait, *virum sic relictum esse venia dignum, et eam, quae cum ipso cohabitavit, non ideo condemnari.* At si persuasum habuisset S. Doctor, viro etiam propter adulterium dimisso superesse semper firmum primi conjugii vinculum, quomodo dubitasset, an posset adultera nuncupari mulier, quae cohabitaret cum viro a sua uxore dimisso? Quomodo vir ille qui solutus non est, venia dignus dici potest, et ea quae cum ipso habitat, non damnari? Certe difficile est ista componere cum dogmate catholico. Quare Arcudius quamquam nihil non moveat, ut S. Basilium excuset, candide fatetur multos optasse, et seipsum cum ipsis, ut ea numquam scripsisset S. Doctor: atque post longum circuitum eo tandem delabatur ut dicat S. Doctorem improbare illam quam refert consuetudinem, eumque nusquam clare affirmasse «*an vir dimittens uxorem adulteram possit legitime aliam ducere.*»

Obscuram pariter esse S. Epiphanii sententiam, imo et depravatam textum agnoscit doctissimus ejus interpres Petavius in notis ad haeresim 59, n. 4, p. 254. Quamquam enim videatur secundas nuptias permittere post mortem dumtaxat prioris mariti; quae tamen proxime sequuntur, ait Petavius: «*Evidenter demonstrant id Epiphanium veli, licere non modo post conjugis mortem, sed eo quoque superstite, si causa legitima quaequam intercesserit, alias inire nuptias. Nam si de secundis dumtaxat post mortem ageret, quorsum haec adjiceret?*»

Cum occasione aliqua stupri adulteriique aut alterius flagitii, cum ea divortium fecerit, is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit, neque ab Ecclesia aut aeterna vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat; non ita tamen ut duas alter superstites uxores simul habeat, sed ut ab una separatus, alteram sibi legitime, si lubet, adjungat. Ita S. Epiphanius, quae profecto dogmati, quod hic propugnamus, non favet. In eadem tamen haeresi n. 6, catholice omnino sic loquitur: *Scriptum est, inquit, mulier obligata est nuptiis, quanto tempore vivit vir ejus: si autem mortuus fuerit vir, libera est cui vult nubere. Quo quidem declarat, post viri obitum ab omni illam peccato liberam esse, adeo ut contradicere nemo audeat.* Petavius.

Ex latina Ecclesia.

Tertullianus, lib. 4, contra Marcian, cap. 34, haeretico objicienti Christum contrarium esse Moysi, cum prohibuit repudium a Moyse permissum, reponit, Christum non absolute et simpliciter divortium prohibuisse sed tantum ex parte seu sub aliqua conditione, nempe ut facto divortio non liceat ad alias nuptias transire. *Dico, inquit, Christum conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat. Qui dimiserit, inquit, uxorem, et aliam ducat, aequè adulter est; ex eadem utique causa, qua non licet dimitti, ut aliaducatur; illicite enim, dimissam pro indimissa ducens, adulter est; monet enim Matrimonium quod non rite diremptum est. Manente Matrimonio nubere, adulterium est. Ita si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit.* Igitur in mente Tertulliani Christus divortium absolute non sustulit, permittit enim illud quoad separationem a thoro, cohabitationem, mensam, etc., at illud sustulit quale permisit Moyses, quod nempe solutionem vinculi et licentiam cum altero nubendi importabat. Cum igitur eod. cap. Tertullianus ait *Christum ex causa adulterii* permisit divortium, debet ad sensum mox dictum exponi; permisit scilicet divortium quoad thorum et cohabitationem, seu, ut ipse loquitur *conditionaliter*; non vero quoad solutionem vinculi.

Ejusdem doctrinae in Ecclesia Africana testes habemus Patres Concilii Milevitani an. 416, can. 17. *Placuit, inquit, ut secundum*

evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur; sed ita maneant, aut sibiimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari. Legem vero hanc civilem divinae contrariam revocari et aliam promulgari hic postulant Episcopi, atque temporalem, ut assolent, principum opem implorant ad certiores et firmiores decretorum Ecclesiae executionem, in quo certe nihil novi occurrit, quod nos in admirationem trahere debeat.

Aliud insigne testimonium pro doctrina Ecclesiae Africanae supeditat nobis S. Aug., l. de fide et operibus, ubi testatur ab Ecclesia Africana non admitti ad Baptismum ex gentilibus eos, qui dimissis primis uxoribus cum secundis nuptias contraxissent.

Ecclesia pariter Gallicana in eadem mente fuit atque sententia, quo tempore celebratum est ex diversis orbis provinciis, an. 514, Conc. Arelatense I, cujus est, can. 10: *«De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne, viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.»*

Petavius in notis ad haeresim 59 S. Epiphani, pag. 255, putat eo in Canone deesse negationem, ac legendum: *«Et non prohibentur nubere,»* (nempe per leges civiles): *«Nam, inquit, ille, si prohiberentur nubere, non consilium ad coercendos, sed praecepti necessitas adhibenda fuerat.»*

Verum alii existimant integrum esse canonem absque particula negante, quae reipsa non legitur in Labbeana Conc. editione; Patres vero Arelatenses consilii potius, quam praecepti nomine usos fuisse, quod intelligerent in iis circumstantiis, in quibus leges civiles, dimissa uxore, permittebant aliam duci, adhortandos potius esse fideles, quam per vim cogendos, ne forte, dissidium ac bellum domesticum exoriretur inter utramque potestatem ecclesiasticam et civilem. Interim quod sit Ecclesiae votum, quae mens atque doctrina, citato canone significant aperte Patres illi Arelatenses.

Idem definitum habes in aliis Gallicanis Conciliis, Suessonensi I, an. 745, can. 9; Parisiensi VI, an. 829, lib. 3, can. 2; Nannetensi, an. 896, can. 12; Bituricensi, an. 1031, can. 13.

Hispanicam Ecclesiam in ea quoque fide fuisse, uno conjuge dimisso, quamdiu vivit, alterum non posse ad alia vota convolare, ostendit Conc. Eliberitanum, an. 305, c. 9: « *Fidelis foemina, inquit, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat: si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is qui reliquit de saeculo exierit; nisi necessitas infirmitatis dare compulerit;* » et c. 2: « *Si qua vidua fuerit moechata, et eadem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus, acta legitima poenitentia, placuit eam communioni reconciliari: si alium duxerit relicto illo, nec in sine dandam ei communionem.* » Censuit igitur Ecclesia Hispanica ea aetate non dissolvi Matrimonium per adulterium, quidquid e contra obloquatur Launojus, p. 455.

Eadem fuit doctrina Aquilejensis Ecclesiae, ut patet ex can. 10 Concilii Forojulensis, an. 791, quod initio hujus controversiae exponendo quaestionis statum, laudavimus.

Idem pariter docuit Anglicana Ecclesia, an. 663, quo habita est Synodus sub Theodoro, referente venerabili Beda, l. 4 hist. Anglorum, c. 5, Can., quippe 10, sic statutum legimus: « *Si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi Matrimonio conjunctam, si christianos esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriae reconcilietur conjugi.* » Audis ea lege christianum dici et esse, qui, dimissa uxore sua, cum altera non conjugitur.

Idem quoque observatum fuisse in Ecclesia Germanica patet ex Conc. Triburiensi, an. 895, can. 43, 44, 45, etc.

Quae fuerit Romanae Ecclesiae circa rem praesentem antiqua doctrina, colligi potest ex S. Clemente R. P. Inter Canones enim, quos sub nomine Apostolorum refert, hunc recenset, n. 48: « *Si quis laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit communionem privetur.* »

Innoc. I, scribens ad Exuperium Episcopum Tolosanum, can. 6, haec habet: « *De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio aliis se Matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui viro vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt . . . secundum illud quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam, moechatur.* »

Notissima est, ac toto orbe decantata tragaedia illa, qua Nicolaus I Lotharium Imperatorem diris devovit, quod dimissa regina Thierberga, cum Valdrada concubina nuptias celebrasset, damnata Guntharii Coloniensis et Theugualdi Trevirensis Archiepiscoporum sententia, quam pro divortio inique tulerant, magno sui honoris et dignitatis periculo: nam ea de caussa suorum ordinum jacturam a Nicolao passi sunt in Conc. Romano.

Ad haec promptum foret quam plurimum veterum SS. Patrum adjungere testimonia; tres tantum appellabimus, Ambrosium, Hieronymum et Augustinum.

S. Ambrosius, cap. 16 in Lucam: «*Dimittis ergo uxorem, inquit, quasi jure sine crimine: et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? Qui omnibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: Quae Deus conjunxit homo non separet;*» et l. 1 de Abrahami, cap. 7: «*Non licet tibi, uxore vivente, uxorem duxere cum habeas tuam; crimen est adulterii.*» Crassa hic est Launoji hallucinatio, cum supponit, c. 461: «*Ambrosium in eos invehi, qui uxores dimittebant sine crimine, id est sine adulterio:*» istud enim sine crimine in textu Ambrosii citato non intelligitur de illis qui uxores suas dimittunt sine ulla caussa et alias ducunt; sed de illis, qui putant se tuta conscientia, et sine peccato posse dimittere uxores suas, etiam ex caussa legitima, et aliis nubere, quia istud permittunt leges humanae: in quo aberrabant illi; lex enim Christi vetat secundum conjugium, vivente altero conjuge, etiam adultero. Hunc esse verborum S. Doctoris planum et apertum sensum constat, quia supponit legibus humanis licitum fuisse uxores dimittere: atqui nequaquam permittunt illae dimitti uxorem sine ulla omnino legitima caussa, et pro sola viri voluntate: ergo illud sine crimine intelligi non debet de eis, qui falso sibi persuadent posse se tuta conscientia uxorem suam dimittere, et aliam ducere, quia id permittunt leges civiles.

S. Hieronymus, epist. ad Oceanum 84, alia ratione excusat Fabiolam, quae, dimisso marito, alteri nupserat, quam quod ignoraret rigorem Evangelii, cujus tamen sui peccati duram illa et publicam sustinuit poenitentiam. In epist. vero ad Amandum presbyterum, diserte docet sola morte dissolvi vinculum conjugale. Idem repetit,

comment, in c. 19 S. Matth. Fallitur Launojus cum ait, p. 465. Hieronimum in ea fuisse mente, non licere quidem uxori dimittere virum adulterum, sed id licere viro respectu uxoris: contrarium quippe aperte declarat tum in epistola ad Oceanum, ubi ait, id omne quod viris jubetur, consequenter redundare in foeminas: « *Neque enim, inquit, uxor adultera dimittenda est, et moechus tenendus;* » tum Comment., in c. 15 S. Matth. in epist. ad Amandum.

S. denique Augustinus in duobus libris ad Pollentium, de adulterinis conjugiiis, ex professo conclusionem nostram demonstrat. Nonnulla ipsius verba supra laudata sunt, quae hic sufficere debent, praesertim cum non videatur repugnare Launojus, qui aliunde S. Doctorem vellicat, quem aut contradictionis, aut non ita accurati ratiocinii reum tacite cuperet hac in parte traducere.

Conc. Trid. huic constanti ac perpetuae traditioni firmiter inhaerens, sess. 24, dogma quod hic propugnamus, confirmavit.

Capit. unico de Matrim., dictae sess., sic loquitur: « *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciauit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

Can. 5 ejusd. sess. adversus novatores Lutheranos et Calvinistas sic statuit: « *Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum: anathema sit.* »

Can. vero 7, rem nostram propius attingit his verbis: « *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.* »

Hujus postremi Canonis occasione duplex apud theologos excitatur quaestio.

Prima est, an quod hic statuit Synodus Trid., disciplinam spectet vel dogma.

Secunde, an dogma de fide sit: hoc est, an indissolubilitas vinculi conjugalis, etiam adulterii causa, sit dogma fidei a Synodo Tridentina definitum.

Quantum ad primum; Launojus in ea mente fuit, sicut antea diximus, Tridentinum canonem meram spectare disciplinam.

Verum falsa omnino et improbanda est opinio. 1. Quia verba ipsa Canonis aliud omnino sonant: « *Si quis dixerit, ait, Ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, non posse dissolvi,* » etc. Idem jam an. 416, dixerat citata Synodus Milevitana. Quod autem docet Ecclesia juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, procul dubio dogma est, a quo discedere non licet. 2. Error proprie adversatur veritati seu dogmati sicut abusus receptae disciplinae: Canon vero citatus expresse definit non errare Ecclesiam cum docet, etc. ergo Can. Trid. de doctrina loquitur, non de mera disciplina. 3. Quod disciplinae dumtaxat est ecclesiasticae, mutari potest ab Ecclesia, prout expedire prudenter judicaverit: ita usum calicis olim laicis concessum, optimis de causis mutavit et abrogavit, ut alia hujusmodi bene multa praetermittamus. Si ergo solubilitas vel indissolubilitas Matrimonii propter adulterum sit res disciplinae libera, posset Ecclesia, vel S. Pontifex propter adulterium solvere vinculum conjugale, et dare licentiam ad aliud ineundum Matrimonium, at quantum istud sit absurdum, et doctrinae evangelicae contrarium, et quantum in rempublicam christianam turbarum ac confusionis induceret, si hac praetensa sua auctoritate uti vellet Ecclesia aut, S. Pont. nemo est, qui statim non intelligat. 4. Denique, Canon ille Lutheranos et Calvinistas ferit: at isti contra veram doctrinam Matrimonii peccabant, non contra solam disciplinam; igitur Can. non ad disciplinam, sed ad doctrinam pertinet.

Quantum vero ad alteram quaestionem, utrum scilicet indissolubilitas Matrimonii, etiam supposito adulterio alterius conjugum, sit dogma fidei, ait. Can. Trid. definitum, asseverare non audemus: quae enim narrat Conc. Histor. Card. Pallavicinus, lib. 22, cap. 4, num. 7 suadere videntur, Conc. idcirco Con., conceptum cum anathemate adversus eos qui dicerent dissolvi posse Matrimonium propter adulterium, postea in gratiam Graecorum qui sub ditione Reipublicae

Venetæ degebant, immutasse ac temperasse, ne rem expresse ac conceptis verbis definiret. Ita oratores veneti qui quod postulabant, sunt assecuti, Canone temperato, et reformato eo ipso modo, quo jam extat.

Hac porro Canonis mutatione videntur Patres Trid. non obscure significare, se in animo non habuisse fidei dogma proponere sub poena anathematis credendum, et observandum, aut damnare Graecos in contraria sententia et praxi versantes: si enim id voluissent procul dubio Canonem non immutassent nec temperassent, auditis Venetiæ Oratoribus.

Adde et in ipso Concilio Florent. sess. 25 Graecos tamquam in fide concordēs ab Eugenio IV S. P. amice compellari, quamquam sciret eos propter adulterium conjugia dirimere; neque ea de re postulatos legitimam potuisse reddere rationem.

Quamquam vero negari non possit Canone sic reformato Graecos aperte non damnari, et lato anathemate percelli dumtaxat Lutheranos, qui affirmabant errare Romanam Ecclesiam, cum docet non posse dissolvi Matrimonium propter adulterium; nihilominus tamen rem propius inspicienti videbitur, doctrinam, quam proponit Synodus, fidei esse, etsi clare ac explicitè id non exprimat; atque totam Canonis mutationem non doctrinae substantiam, quae semper immota subsistit et integra, attingere, sed unam dumtaxat poenam anathematis, quam in gratiam Graecorum et oeconomia quadam, revocavit et immutavit Synodus, ad supplicationem praetorum Reipublicae Venetae. Id ita esse constat.

1. Ex verbis Canonis, quibus declarat non errare Ecclesiam cum docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, non posse dissolvi Matrimonium propter adulterium. Si itaque non errat Ecclesia cum ita docet, ergo doctrina ejus vera est, et conformis evangelicae et apostolicae. Doctrina porro evangelica et apostolica, nonne fidei nostrae caput est? Nonne opposita doctrina error est contra evangelicam et apostolicam doctrinam? Sic itaque arguimus: Non errat Ecclesia, cum docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, dissolvi non posse Matrimonium propter adulterium: ergo errat contra evangelicam et apostolicam doctrinam, qui asserit illud dissolvi posse;

quae consecutio est manifesta; non datur enim medium inter errorem et veritatem, ac necesse est dogma aliquod aut verum aut falsum esse. Ergo errant Graeci contra evangelicam et apostolicam doctrinam, cum affirmant dissolvi posse Matrimonium propter adulterium, quamquam oeconomiae. causa noluerit Synodus Tridentina propter errorem hunc contorquere adversus ipsos poenam anathematis. Nec dicas Synodum hoc Canone solos Lutheranos damnare voluisse, qui Ecclesiam erroris incusabant. Esto id solum voluerit Synodus: at istud semper firmum stat et inconcussum adversus Lutherum et alios quoscumque, non errare Ecclesiam cum docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, non posse dissolvi vinculum conjugale propter adulterium: ex quo sequitur manifeste, errare eos omnes contra evangelicam doctrinam, qui docent dissolvi posse Matrimonium propter adulterium.

2. Pallavicinus, l. 22, c. 4, n. 50, quamquam Suavem reprehendat quod scripserit mutationem Canonis: « *Aeream et utilitatis affectusque vacuam esse*; » nihilominus candide agnoscit, « *subtilius esse discrimen*, inter utrumque Canonem: « *Non solum*, inquit, *revera discrimen est quamvis subtilius; sed etiamsi non inesset, convenientius fuisset Reipublicae satisfacere, eam mutationem petenti, ubi per eam merus sonus non autem significatio variaretur.* » Subtilius non immerito dixit esse discrimen inter utrumque Canonem, quia nempe licet clare et explicitè non dicat Synodus, doctrinam, quam statuit, fidei esse, istud tamen verbis aequivalentibus adstruit et confirmat. Paulo ante narraverat Pallavicinus, Andream Cuestam Episcopum Legionensem rejecisse postulationem Oratorum Venetorum « quia, inquit, non solet ab Ecclesia usurpari haec damnandi formulâ. Si quis dixerit Ecclesiam errare. Hanc veritatem nempe dissolvi conjugium, adulterii causa esse certam ac firmatam in Synodo Milevitana in sexta oecumenica et in Florentina: quod ubi aliis auctoritatibus demonstrasset, sic pergit Historicus, creditum est, si Cuestae locus loquendi inter primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in conventu, tantum ab eo numerum asseclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem Oratorum Venetorum, satis fuisset. »

3. Modum quo primus conceptus ac conditus est Canon, nempe

cum anathemate adversus eos, qui dicere solent dissolvi conjugium adulterii causa, *modos*, inquam, ille aperte prodit, et manifestat quo inclinaret Synodi mens atque sententias.

4. Sacra Facultas Parisiensis in Censura adversus Erasmus anno 1526, haeticam ait esse doctrinam propositionum illius auctoris, quibus videbatur affirmare dissolvi posse adulterii causa vinculum conjugale: cujus Censurae doctrinam non ausus est vellicare Erasmus in sua Apologia, sed conquestus dumtaxat fuit sibi falso, et per errorem a censoribus contrariam fuisse imputatam.

Hic adde unanimem omnium theologorum Scholae consensum: si enim tres excipias, Cajetanum, Catharinum et Lanojum, omnes alii in eam conspirant sententiam, ad catholicum scilicet dogma pertinere indissolubilitatem Matrimonii, etiam adulterii causa.

Estius in 4, dist. 35, §. 12, nonnullis rationum momentis catholicum illud dogma confirmat, quae congrua et consentanea quidem videntur naturae Matrimonii, sed quae vim non habent firmam, nisi ex supposita Christi voluntate de non dissolvendo conjugio, etiam adulterii causa. His igitur praetermissis, solvendae supersunt objectiones.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Christus, Matth. 19 propositae sibi a Phariseis quaestioni de divortio, an nempe *liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* sic respondet v. 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Ergo a contrario, qui dimittit ob fornicationem, et aliam ducit, non moechatur: haec enim videtur esse vis exceptionis istius, *nisi ob fornicationem,* ut si fornicaria sit uxor, licet eam dimittere et ducere aliam; si vero non sit, non liceat. Velut si dixerō: Quicumque peccaverit, nisi poenitentiam egerit, peribit: valebit a contrario consecutio: ergo qui poenitentiam egerit post peccatum, non peribit.

Resp. nego consequentiam, propositio enim adducta non est proprie in genere contrariorum. Propositio siquidem, ut vere sit contraria, debet esse de eodem sub eodem respectu: atqui falso supponit

Objectio, in verbis Christi exceptionem hanc, «*nisi ob fornicationem,*» intelligi simul et de dimittenda uxore, et de alia ducenda, quasi ex aequo ad utrumque propositionis membrum referretur, et ad *dimisit,* et ad *aliam duxerit*; exceptio siquidem, *nisi ob fornicationem,* non refertur nisi ad verbum *dimiserit,* ita ut per parentheses sit pronuncianda, et aliquid supplendum hoc modo: «*Quicumque dimiserit uxorem suam (quod non licet nisi ob fornicationem) et aliam duxerit moechatur.*» Docet igitur Christus eo loci, licitum quidem esse dimittere uxorem *ob fornicationem*; sed eum moechari, qui, dimissa uxore, alteram ducit, quod non licet: idque apposite ad depravatos Judaeorum mores quod emendare vult. Illi scilicet quacumque ex causa, etiam levissima, uxores suas dimittebant: docet econtra Christus non esse dimittendas nisi gravi de causa, qualis in primis est fornicatio quae violat *thorum* conjugalem. Praeterea Judaei, dimissis uxoribus, alias ducebant quod ipsis ad duritiam cordis permiserat Moyses: Christus vero licentiam hanc ac dispensationem revocat ac declarat eum adulterum esse qui, dimissa uxore sua, alteram ducit. Sic esse verba Christi exponenda apud S. Matthaeum probant alii duo Evangelistae, qui nullam injiciunt mentionem exceptionis, quam refert S. Mattheus.

Probat et ipse S. Paulus, qui absolute et simpliciter pronunciat mulierem esse viro alligatam, quamdiu ille vivit. Probat et ipsa Ecclesiae auctoritas in Conc. Trid., ubi definitum est non dissolvi vinculum conjugale propter adulterium, quam doctrinam evangelicam et apostolicam esse declarat Synodus: qua sua declaratione manifestum facit, verba Christi apud S. Matth., eo ipso sensu ab Ecclesia, intellecta semper fuisse, et intelligi debere, quo mox diximus. Unde observant interpretes Christum exceptionem hanc, *nisi ob fornicationem,* non subjunxisse post verbum «*aliam duxerit,*» sed tantum post verbum *dimiserit*: pariter cum dixit: *et qui dimissam duxerit, moechatur,* non addidisse clausulam exceptivam, *nisi ob fornicationem*: nempe ut innueret fornicationem esse quidem causam justam dimittendi uxorem, sed numquam esse posse causam legitimam ducendi alteram, priori vivente. Inde facile est discrimen assignare utriusque argumenti, quod proponit objectio: nempe: Qui peccavit, nisi

poenitentiam egerit, peribit: ergo qui poenitentiam egerit non peribit. Pariter: Qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur: ergo, a contrario, qui dimittit ab fornicationem et aliam ducit, non moechatur. In isto siquidem posteriori argumento, nisi ob fornicationem, non refertur ad verbum *aliam duxerit*, sed tantum ad verbum *dimiserit*, neque argumentum proprie est in genere contrariorum, cum non sit de eodem. At vero in priori argumento exceptio de uno tantum potest intelligi (cum non sit duplex dispositionis membrum, sicut in posteriori argumento.) nempe de poenitentia, vel ejus absentia: unde contrariae vere non sunt duae istae propositiones: «*Qui agit poenitentiam, non peribit: qui non agit poenitentiam, peribit.*»

Sunt inter nostros interpretes, qui exceptionem istam: *nisi ob fornicationem*, ad utrumque sententiae Christi verbum referri posse arbitrantur; ita ut iste sit sensus: Qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, moechatur; hoc est facit eam moechari, interprete Christo apud S. Matth., cap. 5, vers. 33, et qui aliam duxerit, adhuc moechatur; et ita duplex committit peccatum, et cum dimittit, et cum aliam ducit. Juxta explicationem istam a contrario sensu sic inferri dumtaxat potest: Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: ergo qui dimittit uxorem ob fornicationem, et aliam ducit, non moechatur quidem dimittendo; moechatur tamen aliam ducendo. Simile est si dicas: Qui jejunium violat sine dispensatione, et se inebriat, hic peccat: ergo qui non jejunat cum dispensatione legitima, et se inebriat, non peccat quidem non jejunando, sed peccat se inebriando.

Instabis 1. si clausula exceptiva *nisi ob fornicationem* referri tantum debeat ad verbum *dimiserit*, et non ad *duxerit aliam*, duo sequentur absurda. Primum nulla alia de causa, praeterquam fornicationis, posse uxorem a viro dimitti, etiam quoad usum conjugii et cohabitationem: nullam enim aliam Christus expressit causam: atqui tamen nemo negaverit, posse ob plures alias graves causas virum ab uxore separari. Alterum absurdum est, quod si de sola dimissione quoad usum conjugii, et cohabitationem Christus locutus dicatur, ejus responsio minime fuit accomodata Judaeorum interrogationi: isti

etenim de dimissione quoad vinculum, quam solam noverant, et quam licitam ipsis fecerat Moyses, Christum interrogaverant.

Resp. nēgo, ntrumque istud absurdum sequi ex Christi responsione.

Non primum: namque qui unam causam dimissionis memorat, non alias propterea excludit; sed unam fornicationem voluit Christus designare, tum quia praecipua est et capitalis veluti causa separationis ab usu conjugii; tum quia ea de causa potest vir ab uxore perpetuo separari; tum denique quia sic voluit carpere pravam Judaeorum consuetudinem, qui nullis aut levissimis de causis uxores suas dimittebant.

Non secundum: Christi etenim responsio apposita omnino est ad interrogata Phaeriseorum, sapientia et aequitate plena. Duo quippe involvebat istorum interrogatio, primum, an liceret quacumque ex causa dimittere uxorem: secundum, an. ea dimissa, liceret alteram ducere. Ad primum respondet Christus, non licere quacumque ex causa dimittere uxorem, sed ex causa gravissima, qualis est inter caeteras fornicatio, quam unam appellat, utpote praecipuam, ceteris tamen, non exclusis, si graves fuerit, non vero leves. Ad secundum respondet, etiam dimissa propter fornicationem uxore, non licere alteram ducere: qua sua responsione revocavit Christus licentiam a Moysse concessam. Hunc responsionis Christi sensum esse haud dubie intellexerant ejus discipuli: statim enim illius difficultate permoti Christo objiciunt, apud S. Matth., c. 19, v. 18: «*Si ita est causa hominis cum uxore non expedit nubere.*» Quibus hoc unum reposuit Christus: «*Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.*» Innuens scilicet debere virum, qui adulteram dimisit, aut cum ea reconciliari, juxta monitum Apostoli, aut se continere quamdiu illa vivit: quod certe non sapit, vixque intelligit carnalis Judaeorum animus; non tamen impossibile est, sed paucis datum. «*Sunt enim, ait, ibid. Christus, Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum.*»

Instabis 2. lex Christi neminem cogit ad perpetuam continentiam quae paucis data est; at si non liceret viro, dimissa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam, ea vivente, continentiam.

Resp. 1. dist. maj. Lex Christi neminem cogit ad perpetuam

continentiam directe, aut per se, concedo: indirecte, et quasi per accidens, nego. Sic, v. g., qui perpetuam vovit continentiam, aut eam vitae statum sponte selegit, in quo servari illa debet, profecto indirecto saltem et per accidens lex Christi hunc ad continentiam obstringit: hoc modo coelibem vitam tenentur agere, qui sacros ordines suscipiunt, aut religionem solemniter profitentur. Ita pariter qui uxorem suam dimittit propter adulterium, aut tenetur se continere, aut, si non potest, redire ad uxorem et cum illa reconciliari.

Resp. 2. falsam esse absolute minorem propositionem: si enim non potest vir ille se continere, paratum habet remedium quod suppeditat S. Paulus, nempe ut cum uxore *reconcilietur*, ac condonet ipsi delictum suum, sicut optamus ut nostra nobis Deus condonet: Ita hortantur Ss. Patres, ut non tam faciles sint viri in dimittendis suis uxoribus, ne forte carnis tentationibus succumbant.

Instabis 3. adulterium destruit illam carnis unitatem, in qua posita est natura Matrimonii juxta istud: «*Et erunt duo in carne una.*» Ego per adulterium dissolvitur vinculum conjugale.

Resp. essentiam Matrimonii in facto, ut dicitur, esse, consistere in illo nexu sed vinculo perpetuo quod resultat ex consensu interno et pactione externa; unitatem vero carnis, mutuam traditionem corporum, et alia hujusmodi, esse effectus aut proprietas consequentes, quas laedit quidem adulterium, dum violat jux conjugale, sed non propterea vinculum ipsum destruit. Quamquam etsi concederetur, per conjunctionem illam in unitate carnis perfici Matrimonium, non tamen recte inferretur dissolvi vinculum conjugii, quando per adulterium caro dividitur, sed tantum dissolvi societatem thori: quemadmodum etsi consensus mutuus efficiat Matrimonium, non tamen postquam perfectum est, dissolvi potest ex mutuo consensu.

Instabis 4. adulterium contrarium est triplici bono conjugii, nempe fidei, quam violat; proli, quam facit incertam; sacramento, ejus laedit significationem: ergo vinculum conjugale dissolvit.

Resp. nego consequ. Vinculum enim conjugale ab his mox enumeratis distinguitur, quibus violatis integrum et firmum perseverat.

Instabit 5. fornicatio spiritualis, hoc est infidelitas dissolvit Matrimonium; si enim infidelis conjux nolit pacifice habitare cum fidei,

potest iste ad alias nuptias transire: quidni igitur et fornicatio corporalis idem poterit?

Resp. neg. consequentiam et paritatem, cujus non alia potest reddi ratio, quam divina voluntas, quae in gratiam fidei permisit in casu adducto secundas nuptias, quos omnino prohibet in causa adulterii.

An Matrimonium christianorum ratum et non consummatum solvatur quoad vinculum per solemnem religionis professionem, et quo jure: quidve sit observandum cum ante consummationem alter conjugum transit ad religionem.

Sensus quaestionis est, utrum post valide contractum Matrimonium, antequam carnali usu, seu conjunctione consummetur, possit unus conjux solemniter religionem profiteri, altero invito: et rite liber factus possit ad alia vota se conferre.

Negant novatores, catholici vero affirmant, quamvis sint discordes in assignando jure, unde repeti debet praedicta licentia. Alii enim ab ipsamet natura professionis religiosae dissolvi ajunt Matrimonium ratum et non consummatum; alii a solo jure ecclesiastico: alii divino positivo id fluere arbitrantur, de quibus Sanchez lib. 2 de Matrimon., disp. 19; Pontius, lib. 9, cap. 5.

CONCLUSIO.

Matrimonium ratum et non consummatum dirimitur quoad vinculum per solemnem religionis professionem.

Ita definiit Synodus Tridentina, sess. 24, c. 6: «*Si quis dixerit Matrimonium ratum, et non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi;*» ANATHEMA SIT.

Definitionem hanc impugnant novatores; sugillat ipse Suavis apud Pallavicinum, lib. 23 historiae Concil. Trident., cap. 9, n. 7, et ex nostris aliqui sublesto nixam esse fundamento insurrant. Anathemati

hujus Canonis repugnasse card. Lotharingium cum aliis pluribus narrat, cit. cap., n. 6, Pallavicinus.

Impugnari ab haereticis Canonem Tridentinum, mirum videri non debet; quid enim aliud speres ab infensis Ecclesiae hostibus? At catholicis apud quos firma et inconcussa esse debet Ecclesiae in Synodo Tridentina convocata auctoritas, tenui et sublesto subnixam videri fundamento definitionem hanc, res est et orthodoxis inaudita, et haereticis Conc. Trid., obtrektoribus per jucunda, quasi potuerit Ecclesia novum aliquod invehere dogma, cujus certam non habuerit in verbo Dei aut scripto aut tradito probationem. Et quamquam deesset (quod falsum est) traditio scriptis consignata, sufficeret tum usu ipso continuo, tum vivae vocis oraculo ad nos constanter perducta; neque enim Patribus Tridentinis nova affulsit revelatio. Cum igitur nec sit divisus, nec sibi contrarius, qui Tridentino Concilio praefuit, divinus Spiritus, in omnibus aequaliter firma est, ac retinenda ejus auctoritas; et totam illam subvertit funditus qui vel in uno Canone ad doctrinam spectante eam infirmare ac labefactare aggreditur.

In duobus autem potissimum deprehenditur traditio dogmatis Canone Tridentino definiti: primo in rescriptis Ss. Pontificum; secundo in veteribus et approbatis exemplis eorum, qui ante complexus conjugales vitam religiosam et continentiam publice professi, conjugii in saeculo remanenti facultatem reliquerunt transferendi se ad alias nuptias.

Probatur itaque 1. Conclusio nostra Ss. Pontificum rescriptis;

Alexander III, in Conc. III Lateranense, an. 1179 in Appendice, part. 5, cap. 4: *Post consensum illum legitimum de praesenti datum, inquit, licitum est alteri, altero etiam repudiante, monasterium eligere, sicut quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt; dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti, si commonitus servare noluerit continentiam, licitum esse videtur, ut ad secunda vota transire possit. Quia cum non fuissent una caro effecti, potest unus ad Dominum transire, et alter in saeculo remanere.* Duo hic agit S. Pontifex, 1. Definit quod hic nos contendimus: tum definitionis suae rationes et fundamenta assignat, nempe ex una parte exempla Sanctorum; et ex altera, quia ante consummationem conjuges non sunt una

caro; verba etenim ista Scripturae: «*Erant duo in carne una,*» quae omnimodam efficiunt conjugalis vinculi indissolubilitatem, intelligenda dumtaxat esse de Matrimonio consummato suggerit Alexander III.

Idem rursus confirmat eadem parte cap. 8, ubi Episcopo Brixienti sic respondet: «*Quia praefata mulier, licet a praefato viro desponsata fuerit, adhuc tamen, sicut ipsa asserit, ab ipso est incognita; fraternitati tuae mandamus, quatenus, si sopradictus vir mulierem ipsam carnaliter non cognovit, et eadem mulier, sicut ex parte sua nobis proponitur ad religionem transire voluerit, recepta ab ipsa sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire, infra duorum mensium spatium debeat, ipsam absolvas, etc.*»

His non absimilia repetit idem S. Pontifex, parte 50, c. 30 et 41.

Adde auctoritatem Innocentii III cap. *Ex parte, de conversione conjugatorum*; Gregorii Magni a Graziano citati, caussa 27, q. 2, et Eusebii S. P.

Probat 2. Conclusio veteribus sanctorum exemplis. Plura passim referuntur; haec illustriora nobis sufficient.

Primum, et quidem antiquissimum, cum sit primi saeculi, est S. Theclae, quae testibus S. Ambrosio, l. 2 de verginibus, c. 3, et Methodio in convivio virginum, et S. Epiphanio haeresi 78, n. 16, «*cum in Paulum incidisset, pactas nuptias dissolvit cum primario cuidam civitatis totius, ac longe diviti nobilissimo, splendidissimo desponsa jam fuisset. Verum terrena ideo sancta illa contempsit, ut coelestium compos esse posset.*» Tam illustre fuit tamque omnibus compertum hoc exemplum, ut Faustus ipse Manichaeus illud proferat apud S. Aug., lib. 30 contra ipsum, cap. 4: «*Paulus, inquit, Theclam oppignoratam jam thalamo, in amorem sermone suo perpetuae virginitalis incendit.*» Exemplum non negat quidem S. Aug., sed directe infert adversus Manichaeos, virginitalatem praeferrere nuptiis; tamquam majus bonum minori, non autem tamquam malo.

2. Ipse S. Aug., lib. 8 Confessionum, cap. 6, narrat duos milites, lecta Antonii vita, mox vota monastica suscepisse, relictis sponis quas habebant: quod ubi istae cognoverunt, eandem vitae rationem amplexae sunt.

3. S. Gregorius Magnus, lib. 3 Dialogorum, cap. 14 de virgine Gregoria haec narrat: «*Dum adolescentiae suae tempore constitutis jam nuptiis in Ecclesiam fugisset, et sanctimonialis vita conversationem quaereret.... sponsum meruit habere in caelo, quia sponsum fugit in terra.*»

4. Gregorius Turonensis, lib. de vitis Patrum, cap. ult., refert Leobardum rupto foedere nuptiali, quod contraxerat cum honesta puella, monachum esse factum in majori monasterio Turonensi.

Denique, ut alia multa praetermittamus, Venerabilis Bedae, l. 4, Hist. Anglorum, c. 19, aliud non absimile suppeditat exemplum Edildridae reginae, quae Matrimonio juncta, numquam se viro permisit, quod nempe vellet religionem ingredi, quam reipsa ingressa est; ejusque corpus post mortem a corruptione diu praeservatum fuisse narrat historicus, Deo ista concedente in signum et praemium servatae virginitatis,

Conclusionem nostram solent theologi nonnullis rationum momentis confirmare, quae, ut nihil dissimulemus, praecisa et seclusa Dei voluntate, certam et firmam hinc non efficerent probationem, sicut eas sedulo expendenti patebit.

Prima ratio est, quia semper licitum fuit de statu minus perfecto gradum facere ad perfectiorem, modo nullam cuiquam fiat injuria: atqui status religionis perfectior est statu conjugali; nulli autem fit injuria, si alter conjugum ante consummationem vota monastica solemniter profiteatur. Cui enim fieret? non proli, quae nulla est: non derelicto conjugio, qui liber est ac solutus.

Verum ratio haec divino seclusa privilegio non videtur per se firma et efficax: 1. Quia status religionis perfectior quoque est statu conjugali, etiam post consummationem; neque tamen dirimitur Matrimonium consummatum per solemnem religionis professionem; 2. quia conditio seu character episcopalis, imo et sacerdotalis, perfectione superat professionem religiosam; non tamen dirimitur Matrimonium, quamquam non consummatum, per susceptionem ordinis episcopalis vel sacerdotalis, ita declarante Joanne XXII, Extravaganti *Antiquae, de voto.*

Secunda ratio haec est, quia duplex in Matrimonio vinculum occurrit, alterum spirituale, quod nascitur ex solo consensu, alterum

carnale, quod nascitur ex copula: sicut igitur carnale vinculum dissolvitur per mortem corporis, ita et spirituale per mortem spiritualem et civilem, qualis est monastica professio.

Tertia ratio denique inde sumitur, quod conjuges ante consummationem non sunt adhuc una caro: atqui Christus, Matth. 19, omnimodam Matrimonii indissolubilitatem repetit ex eo quod conjuges sint una caro.

Verum facile esset reponere, conjuges, quidem ante consummationem, unam non esse carnem actu, ut vocant, exercito, sed esse jure acquisito, ita ut non possit unus, altero invito, recedere. Et vere, si Matrimonium firmitatem suam et indissolubilitatem dumtaxat traheret ex consummatione, sequeretur illud ex se ante consummationem non esse verum, ratum et indissolubile Matrimonium; adeoque consummationem ipsi esse essentialem, quae falsa esse antea demonstravimus.

Quaeres 1. quo jure dissolvatur Matrimonii rati, sed non consummati vinculum per solemnem religionis professionem: an naturali, an ecclesiastico, an divino positivo.

Resp. 1. ex refutatione rationum, quae mox adductae sunt, satis compertum esse, non jure naturali dissolvi conjugium.

Resp. 2. non dissolvi ex solo jure ecclesiastico. Tum quia illius initium et origo consignari non potest: tum quia Ss. Pontifices, qui illud declarant, non tamquam suum; sed continua traditione ad se transmissum agnoscunt: denique quia potest Ecclesia a jure pure ecclesiastico dispensare; at non videtur esse in potestate Ecclesiae efficere ut non dirimatur Matrimonium per solemnem religionis professionem: nonnulli tamen id contendunt, referente Pallav., l. 3, c. 9. Tum denique quia nihil potest Ecclesia in illud, quod jure divino est indissolubile: atqui tale esse vinculum Matrimonii, diximus antea.

Resp. denique; dictum Matrimonium dissolvi per professionem religiosam jure divino positivo, quod per continuam traditionem ab Apostolis ad nos usque pervenit. 1. Quia juxta regulam S. Aug., l. 4 de Baptismo, cap. 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur;* atqui talis est solutio Matrimonii per

religiosam professionem. 2. Quia ita videntur ianueri Ss. Pontifices, Alex. III, antea cit. ex interpretatione divini eloquii privilegium illud deducit, Innoc. III pariter recurrit ad revelationem, Bened. Gregor. Innoc. III, et ipse etiam Alexander III, partim apud gratianum causa 27, q. 2, cap. *Lex*, et c. *Sunt*, partim *Extra. De conversione conjugatorum*, cap. *Verum*, et cap. *Ad Apostolicam*, verba haec Scripturae: «*Erunt duo in carne una*,» in quibus fundatur indissolubilitas vinculi conjugalis, explicant de Matrimonio consummato. Supponunt igitur a jure divino fluere, quod dirimatur Matrimonium ratum et non consummatum per solemnem religionis professionem.

Quaeres 2. quid sit observandum a conjugē, qui ante consummationem Matrimonii vult religionem ingredi et profiteri.

Resp. ex Alexandro III, debere moneri conjugem qui deseritur, an velit servare continentiam: quod si recusaverit, duorum mensium spatium concedit summus Pontifex, intra quod potest unus conjux, qui animo proponitur religionem profiteri, debitum negare, ac deliberare de religione quam vult ingredi; quo tempore elapso, non potest amplius petenti negare debitum. Si vero intra illos duos menses religionem ingrediatur, debet alter, qui in saeculo remanet, expectare annum elapsam probationis, post quem dumtaxat, juxta decretum Tridentinum, sess. 25, cap. *de Regularibus*, licet solemniter profiteri. Ex quo inferes,

1. Duos illos menses a jure concedi, ad ingressum, non ad professionem religionis.

2. Liberum non esse sponsum derelictum ad alias nuptias contrahendas, nisi post professionem alterius.

3. Si femina, cum annos pubertatis attingit, monasterium ingreditur, teneri virum expectare usque ad annum 16 foeminae; donec profiteatur; cum ex Decret. Trid. antea profiteri ipsi non liceat.

4. Jus non habere conjugem ad exigendum debitum, nisi post illos duos menses ad deliberandum concessos; adeoque graviter illum peccare, si per vim copulam extorqueat.

Quaerit hic Sanchez, lib. 2, disp. 24, et Pontius, lib. 9, c. 9, an spatium illud duorum mensium possit a judice vel coarctari vel prorogari. Afirmat Sanchez, eo nixus fundamento, quod tempus illud

non sit a lege constitutum et determinatum, sed iudici determinandum permittatur: negat e contra Pontius. Quidquid sit, recte observat Pontius, l. c., n. 10, si conjux ab una religione ad alias transeat et varias mutet in fraudem alterius, posse iudicem tempus certum assignare, intra quod teneatur eligere religionem, in qua aut profiteatur post annum probationis, aut ad conjugem redeat; alias sic illudi facile posset alter conjux, qui in saeculo remanet expectans alterius professionem.

Quaeres 3. An copula per vim extorta intra bimestre Matrimonium vere consummetur, et tollatur jus ad religionis professionem.

Resp. omnes fere theologos consentire vere in casu proposito consummari Matrimonium: at sunt qui cum Th. Sanchez, l. 2, disp. 22, putant ob illam violentiam conjugem non privari jure suo, ac posse ingredi religionem. Alii, e contra, negant cum Pontio, l. 9, cap. 40, quia nempe Matrimonium consummatum sola morte dirimitur: jus autem non distinguit inter consummationem per vim extortam aut liberam; unde censent, in casu proposito non dissolvi conjugium per professionem religionis.

Quaeres 4. an sponsis juramento affirmantibus se non consummasse Matrimonium, sit habenda fides.

Respondet Sanchez, l. 2, disp. 23, et Pontius, l. 9, c. 10, n. 6, sub distinctione. Nempe si puella virgo probetur, ipsis creditur: si vero corrupta jam erat, adhuc distinguendum: si non est in domum viri traducta, ex eo sumitur sufficiens inditium ut credatur juramento; quod si traducta est, non desertur juramentum in praejudicium Matrimonii, cap. *Super eo. De eo qui cognovit*, ubi ad dissolvendum conjugium parum confert confessio partium aliis destituta probationibus.

Quaeres 5. Si quis post solemne votum in religione approbata emissum, ac post dissolutum Matrimonium ratum, sed non consummatum, obtineret dispensationem a tali voto, an posset cum alia contrahere Matrimonium; an vero tenetur ad suam primam redire.

Respondent Paludanus, in 4, dist. 38, q. 4, art. 4 in fine; Durandus ib., q. 2, in solutione ad 1, n. 9, et alii quos appellat Pontius, l. 7, c. 10, n. 10, posse hominem illum contrahere novum Matrimonium cum alia: quia nempe prius vero dissolutum fuit per professio-

nem religiosam: quemadmodum, inquiunt iidem theologi, si quis a morte ad vitam revocaretur, non tenetur redire ad priorem suam uxorem, a qua per mortem solutus et liber factus est. Responsionem hanc explodit Estius, in 4, dist. 38, q. 6, atque propter hoc ipsum incommodum contendit non posse S. Pontificem dispensare a votis solemnibus.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Scripturae testimonia, quae superius laudavimus, ut probaremus Matrimonium jure naturali et divino positivo esse indissolubile, intelligi debent de quocumque Matrimonio vero, quale certe est ante consummationem: neque enim Scriptura distinguit inter Matrimonium, quod consummatum est, vel non; sed simpliciter et absolute pronunciat: *« Quod Deus conjunxit, homo non separet. »*

Resp. Ea Scripturae testimonia intelligenda esse cum citatis antea Ss. Pontificibus de Matrimonio rato et consummato. Quod si Scriptura ipsa non distinguit inter consummatum et non consummatum Matrimonium, traditio, quae altera est fidei nostrae regula manifeste distinguit: unde non hominis, sed Dei ipsius auctoritatem dirimitur vinculum conjugale per solemnem religionis professionem.

Instabis 1. Matrimonium ante consummationem suapte natura firmissimum est ac indissolubile, cum sit *unio duorum, individuum vitae societatem retinens*, ut fort ejus definitio: quomodo igitur solvi potest per religiosam professionem?

Resp. Illud solvi, non quidem ex causis, quae sint Matrimonio intrinsecae, et essentiales, sed ab extrinseco, divina scilicet voluntate per traditionem nobis manifestata.

Instabis 2. Matrimonium ratum non consummatum essentia non differt a Matrimonio rato et consummato: ergo utrumque pari modo ac ratione indissolubile est.

Resp. dist. conseq. utrumque indissolubile est, si una spectetur Matrimonii essentialis constitutio ac natura, concedo: si voluntas Dei, quae in gratiam professionis religiosae et majoris boni permisit dis-

solvi Matrimonium ante consummationem, non vero post, nego. Non est autem hic alia decretoria quaerenda ratio, quam quae a voluntate Dei petitur: quamquam non desint congruae ac convenientes aliquae causae, cur unum potius quam alterum voluerit Deus.

Instabis 3. Matrimonium ratum, et non consummatum est verum sacramentum: ergo prorsus indissolubile: habet enim maxime a ratione sacramenti, quod dirimi nullatenus valeat.

Resp. dist. pariter cons. ergo prorsus indissolubile ex se, propriaque sua conditione, quia nihil est in Matrimonio quod exigat illud dissolvi, concedo: absolute et per divinam voluntatem, nego. Falso supponit objectio, Matrimonium firmitatem suam dumtaxat trahere a ratione sacramenti; siquidem inter infideles ipsos firmum est ac indissolubile ex se, nec tamen est verum sacramentum: quamquam diffiteri non debeamus, majorem firmitatem ipsi accedere apud christianos, tum ex Baptismo, quo accedente cessat causa propter quam potest dissolvi contractum in infidelitate Matrimonium; tum ex propria ratione sacramenti, quae inest Matrimonio in nova lege.

Inst. 4. Matrimonium ratum, et non consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per charitatem, quae unio plane dissolvi non potest: ergo tam est indissolubile, quam haec ipsa unio, cujus signum est.

Respondent nonnulli, idcirco Matrimonium consummatum non posse dissolvi, quia re, praesentat unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem quae perpetua est; non consummatum vero posse dissolvi, quia repraesentat dumtaxat unionem Christi cum anima fidei per charitatem, quae facile dissolvitur per mortale peccatum.

Respondent alii, negando consequentiam: neque enim habet Matrimonium, praecise ac metaphysice loquendo, suam firmitatem ab illa significatione speculativa, sed tum a natura sua et institutione divina, tum a significatione practica, quae sola essentialis est sacramentis; quae cum Matrimonio conveniat, etiam antequam consummetur, illud quantum est ex se, indissolubile reddit, itaque per causam intrinsecam non possit dirimi: absque praejudicio tamen divinae voluntatis, quae in gratiam religiosae professionis permisit illud dissolvi.

Objices 2. per Matrimonium ratum, etiam ante consummationem, traditur mutua in corpus potestas: ergo non potest unus conjux alterum invito ea privare potestate.

Resp. 1. neg. conseq. Sicut enim potest unus conjux, altero invito, exponere se periculo mortis naturalis, vel sustinendo martyrrium, vel Ecclesiam, aut patriam defendendo, sicque alterum conjugem privare jure, quod habet in suum corpus; ita quoque ex causa legitima, videlicet ut Deo perfectius serviat, potest, invito altero conjuge, monasterium ingredi ante consummationem Matrimonii, et profiteri solemniter religionem.

Resp. 2. dist. ant. per Matrimonium ratum, etsi non consummatum, traditur mutua corporis potestas, sub hac tacita conditione, ut nempe liceat ante consummationem religionem ingredi et profiteri, concedo: sine illa conditione, nego.

Objices 3. non dissolvitur Matrimonium ratum non consummatum, per susceptionem sacrorum ordinum; ergo nempe per solemnem professionem religionis.

Resp. nego consequentiam et paritatem, cujus non alia debet afferri ratio, quam Dei voluntas.

Objices 4. nullum est Matrimonium contractum post solemne votum: atqui Matrimonium ratum, quamquam consummatum, est quoddam solemne pactum, quod fit coram Ecclesia, cui repugnat votum castitatis; ergo non dirimitur Matrimonium per solemne votum subsequens religionis.

Resp. Matrimonium esse quidem quoddam solemne pactum, quod fit coram Ecclesia, sed cui adjunctam voluit Christus conditionem supradictam. Idcirco vero per solemne votum praecedens Matrimonium nullum est ac irritum, quod qui si sic voverunt, omnino sint inhabiles facti ad contrahendum Matrimonium; qui autem Matrimonium quidem contraxerunt, sed non consummarunt, ii habiles sunt ad emit-tenda vota solemnia, quibus Matrimonium ratum dumtaxat dissolvitur.

Objices 5, ex S. Aug., lib. 1, de nuptiis et concupisc., cap. 24. Matrimonium continentium ab opere conjugali *firmius* est, quam non continentium. Ergo magis insolubile est Matrimonium ante consummationem, quam post illam. Rursus, eod. cap. S. Aug., docet inter-

Mariam et Joseph nullum potuisse esse divortium, inter quos tamen nullum fuit carnis commercium.

Resp. ad primum dist. Matrimonium continentium ab opere conjugali firmiter est, quam non continentium, quoad vinculum mutuae charitatis et animorum consensionem, concedo: quoad foedus conjugale, nego.

Resp. ad secundum Estius in 4, dist. 27, §. 5, « prorsus indissolubile fuisse conjugium B. V. cum Josepho, propter prolem quae illius conjugii bonum erat, teste eodem S. Aug., cujus prolis cura et educatio ad ambos conjuges pertinebat: Matrimonium enim inter B. Mariam et Joseph, licet non fuerit consummatum, quoad copulam, fuit tamen consummatum quoad generationem prolis, quae in illo sine ipsius injuria nata est; et ad illam prolem alendam, educandam, etc., non minus tenebatur Joseph, quam si eam ex se genuisset: et ita non poterat esse divortium ratione prolis, sicut in Matrimonio consummato. »

Instabis si Matrimonium essentialiter perficitur per charitatem, et animorum consensionem, quare dissolvitur per religionis professionem quandoquidem in ea perseveret eadem charitas et animorum consensio?

Resp. rationem hanc esse, quod nimirum conjugalis animorum consensio dicit ordinem et jus radicale tum ad individuum societatem vitae, tum ad copulam: cum ergo hoc utroque fine privetur conjux per professionem alterius in religione approbata, si aliunde continere se non possit, necesse est dissolvi prius conjugium, ut ipsi detur facultas ad alias nuptias ineundas. Quapropter si ambo conjuges, antequam simul conveniant, ex mutuo consensu vellent in saeculo remanere et servare continentiam, non dissolvitur vinculum conjugale, imo firmiter illud fore dicit S. Augustinus.

Objices denique: votorum solemnitas institutionis est ecclesiasticae: non ergo jure divino dissolvitur Matrimonium ratum non consummatum per solemne votum religionis.

Resp. neg. cons. quamquam enim votorum solemnitas sit ex jure ecclesiastico quantum ad ritus, cum liceat Ecclesiae has illasve caeremonias statuere, ut firma sit actio, non ita tamen est, quoad

effectum. Christus enim, qui Ecclesiae facultatem dedit instituendi haec vota solemnia; ipsis votis, ubi essent ab Ecclesia instituta, viam indidit ad solvendum hujusmodi Matrimonium.

An S. Pontifex dispensare possit a vinculo Matrimonii rati nondum consummati.

Duplex eam in rem theologorum opinio: affirmans una, negans altera. Multos pro utraque parte appellat Sanchez, l. 2, disp. 14, ipse vero affirmantem sequitur, tamquam probabiliorem, ac

Docet 1. Posse S. Pontificem dispensare a vinculo Matrimonii rati non consummati, tum quia id saepius factitatum legitur, tum qua expedit ad multa eaque grandissima mala et scandala praecavenda.

Docet 2 *ibid.*, n. 4. Non posse S. Pontificem decreto alio sollemni statuere ut Matrimonium ratum dirimatur per subsequens copula consummatum: «*Quia, inquit, videretur esse quaedam dissipatio, et daretur ansa per injuriam dirimendi Matrimonia rata, contrahendo et consummando aliud; nec est verisimile Christum dedisse Pontifici eam potestatem, quae in destructionem tendit.*» Fatetur nihilominus, n. 3, aliter visum fuisse nonnullis Ss. Pont. referente ipsomet Alex. III, in appendice Conc. III. Lateran. p. 6, c. 17 et 18.

Docet 3 disp. 15, n. 5, concl. 1, probabile esse valere dispensationem S. Pont. in Matrim. rato, etiam absque causa justa concessam; et n. 6, concl. 2, ait verius esse, non tenere dispensationem absque causa justa factam; et n. 7, concl. ult., ad hanc S. Pont. dispensationem non desiderari mutuum conjugum consensum; sed existente causa justa posse Pontificem dispensare, altero eorum iavito.

Docet 4, disp. 16, justas causas dispensandi a vinculo Matrimonii rati nondum consummati istas esse, notabilem in qualitate seu conditione disparitatem, gravem timorem magni futuri scandali, lepram autem supervenientem; confessionem alterius conjugum, qua declarat se non habuisse animum contrahendi; dignitatem episcopalem, ad quam vocatur vir; mutuum denique utriusque conjugis consensum.

Ita Sanchez, ad quem accedit Phyrrius Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum, lib. 8, c. 6, n. 26 et seqq., ubi formulam dispensandi, et causas, et exempla dispensationum, quas concessere Urbanus VIII et Clemens VII adducit.

Ex altera parte Basilius Pontius, l. 9, c. 3 duo docet.

Primum: quantum ad praxim attinet securam esse opinionem, quae affirmat posse Ss. Pont. dispensare in Matr. rato non consummato, quia de facto saepius dispensarunt, neque ab Ecclesia damnata hactenus fuit haec opinio.

Secundum: speculative loquendo, non posse S. Pont. in eo Matrimonio dispensare; unde consequens est Pontium in ea mente fuisse Ss. Pont. qui de facto dispensarunt, excessisse limites legitimae suae potestatis. Itaque sit

CONCLUSIO.

Verisimilius longe videtur, non posse S. Pontificem dispensare a vinculo Matrimonii rati non consummati.

Probatur 1. Tum quia non potest S. P. dispensare a jure divino naturali: atqui Matrimonium ratum, etsi non consummatum jure divino naturali indissolubile est; nullus ergo privata et humana auctoritate, sed solus Deus pro supremo, quod in res omnes habet dominio, potest a tali vinculo dispensare, sicut revera dispensat in gratiam professionis religiosae. Tum quia non potest S. P. dispensare a vinculo Matrimonii consummati: ergo nec inconsummati: par enim videtur in praesenti causa utriusque ratio; eadem quippe rationes et causae, propter quas putat Sanchez posse dissolvi auctoritate Pontificia Matrimonium non consummatum, locum habere possunt in Matrimonio consummato, sicut causas illas expendenti patebit: nusquam autem dispensasse S. Pont. a Matrim. rato consummato, res est apud omnes certa et explorata.

Revera testantur aliqui, nonnullos Ss. Pontifices dispensasse. Ita S. Antoninus, 3 part., tit. 1, cap. 21, §. 3, affirmat se vidisse eam in rem Bullas Martini V et Eugenii IV; Navarrus, Summa latina, c. 22, n. 2, refert ter vel quater ad suam petitionem Paulum III et Pium IV

dispensasse; Cajetanus, in opusc. t. 1, tract. 28 de Matrim., qu. unica, idem aetate sua factitatum saepius testatur. Henriquez, l. 2 de Matr., c. 8, n. 2, refert Greg. XIII, unica die cum undecim dispensasse. In Appendice Conc. III, Lat., p. 6, refertur ea de re statutum Benedicti S. P. Verum frustra haec dispensationum exempla nobis hic opponuntur. 1. Quia ex facto aliquorum Ss. Pontificum jus certum statui non potest, ne ipso quidem dissentiente Sanchez antea citato: docet enim ipse non posse S. P. statuere ut Matrimonium ratum dirimatur per subsequens copula consummatum; attamen aliter censuisse et observasse nonnullos e suis praedecessoribus, et aliam esse aliquarum Ecclesiarum sententiam et consuetudinem, fatetur ipsemet Alexander III, in Append. Conc. III Lat., p. 6, c. 8, 17 et 18. Sicut igitur ex hoc facto aliquorum Pontificum jus certum non potest statui, ita neque ex facto aliorum quod hic opponitur. Ita docet insignis theologus Dominicus Soto in 4, dist. 27, q. 1, art. 4: « *Quare, inquit, cum Christus ait: Homo non separet, Pontificem etiam ipsum excludit, quasi talem potestatem ei non committeret; quia super jure divino et naturali, quale illa verba significant, Papa minime dispensat. . . . Auctoritas vero Martini et Eugenii, si ita verum est quod similem dispensationem fecerunt, nullatenus tamquam Ecclesiae determinatio movet, quia factum Pontificum non facit fidei articulum.* » Ita Soto. 2. Quia alii Ss. Pontifices declarant Matrimonium non consummatum dissolvi tantum posse per solemnem religionis professionem: non est igitur in potestate S. Pontificis tale Matrimonium dissolvere ob aliam causam. Ita Ss. Pont. antea citati.

Praeterea declarant Ss. Pontifices nonnulli, Matrimonium ratum non consummatum nullatenus dirimi per subsequens copula perfectum seu consummatum. Ita

Alexander III in Appendice Conc. III Lateran., part. 6, cap. 8, sic respondet Episcopo Salernitano: « *Consuluisti nos, inquit, utrum inter virum et mulierem, praestito, vel non praestito sacramento, si legitimus consensus intervenerit de praesenti, carnali copula non secuta, liceat mulieri alii nubere: vel si nupserit alii, et carnalis copula fuerit secuta an ab ipso debeat separari. Super hoc inquisitioni tuae taliter respondemus: quod si legitimus consensus ea solemnitate, quae fieri solet.*

praesenti sacerdote, aut etiam ejus notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc observatur, coram idoneis testibus interveniat de praesenti, ita quod unus aliam in suam mutuo consensu verbis expressis recipiat, utrinque dicendo: Ego te recipio in meam: sive fit juramento, sive non, non liceat mulieri alii nubere: et si nupserit, et fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet, et ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli: quamvis alii aliter sentiant, aliter etiam a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum.» Idem repetit eadem parte, cap. 17 et 18, ubi observat «diversam esse ea de re Ecclesiarum sententiam et praxim.»

Innoc. III. cap. *Ex parte. De conversione conjugatorum*, antea citato, docet, in nullo casu, «*nequidem leprae supervenientis, aut lapsus in haeresim; sed ob solam religionis professionem*» posse dirimi Matrimonium ratum non consummatum.

Nicolaus I, *Hi qui Matrimonium*, caussa 32 q. 7. idem statuit. «*Cum, inquit, hi qui Matrimonium contraxerunt, et uni ex duobus dementia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, et ob hanc infirmitatem et causam conjugia talia solvi non possunt. Similiter sentiendum est de his, qui ab adversariis excaecantur aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.*» Haec Nicolaus, ex quibus plausum est, supervenientem impotentiam non videri S. Pontifici causam sufficientem dissolvendi Matrimonii. Sanchez nihilominus, disp. 16, hanc, et alias hujusmodi nonnullas sufficere existimat.

Dices 1. Alex. III, Append. Conc. III Lat. part. 6, cap. 26, permittit dissolvi rata sponsalia. Et part. 12, c. 4, jubet conjugium ratum non consummatum cum filia mulieris quam postea vir cognovit rescindi, si crimen sit publicum, secus si occultum. En casus: «*Cum N. quamdam uxorem duxisset, quidam dissuaserunt ei per mensem quocum duxerat, carnaliter cognoscere: contigit autem quod pater jussit uxorem suam, quae mater erat sponsae, in lecto hujus jacere; quam, diabolo suadente cognovit. Transacto vero mense, tam pater quam alii propinqui coegerunt, ut Matrimonium cum sponsa sua consummaret; quod facere noluit donec tecum super hoc loqueretur. Tum vero audita ejus confessione, (alloquitur Pictaviensem Episcopum, a quo consultus fuerat) ipsum cum litteris tuis ad Sedem Apostolicam transmisisti. Tuae igitur*

inquisitioni taliter respondemus : quod si occultum esset hujus delictum non posset rescindere Matrimonium, quod publice contraxisset : verum si publicum est, quod matri sponsae carnaliter adhaesit, imponenda est poenitentia paullo major quam de adulterio ; et exinde paracta poenitentia vel parte poenitentiae, poterit ex dispensatione cum alia Matrimonium contrahere, et illa alii nubere. Ceterum si sponsam cognoverit antequam matrem, vel post, nusquam poterit eam vel aliam in uxorem accipere.»

Resp. Ad primum, S. Pontificem non loqui de Matrimonio rato per verba de praesenti, sed de futuro dumtaxat, seu puris sponsalibus, quae permittit irrita fieri, propter urgentes aliquas causas.

Ad secundum, non agitur de dissolutione contracti Matrimonii, sed de usu et cohabitatione, et tria respondet S. P. Primum, quod si occultum est crimen, non separentur, cum publice contractum sit non solum quoad vinculum, sed neque quoad thorum. Alterum est, quod si crimen est publicum, quia scilicet cognovit in matrem sponsae, si tamen cognovit ipsam sponsam, concedatur dispensatio, et possit aliam ducere et illa alium, supple post mortem alterius sponsi: quo in capite priorem disciplinae vigorem temperat Alexander III quippe conjugii reo in poenam criminis, etiam post mortem innocentis, non patebat aditus ad alias nuptias. Tertium denique est, si cognovit sponsam, careat omni spe conjugii, etiam illa defuncta.

Dices 2. Greg. II ad an. 726, Epist. 14 ad Bonifacium, consultus a viro, cujus uxor ex infirmitate debitum reddere non poterat, quid facto esset opus, respondet, *bonum esse si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret ; sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis.»*

Pariter Innoc. III, cap. *Quanto De Divortiis*, asserit quemdam ex suis praedecessoribus (alii Coelestinum III, in cap. *Laudabilem, De Conversis infidelibus*, alii Clementem III qui vixit an 1190, appellant) qui putavit Matrimonium propter haeresim alterius conjugum dissolvi posse.

Resp. In primo casu intelligendum esse Gregorium de muliere aliquo dirimente impedimento legata, quo supposito nullum est Matrimonium. In secundo vero casu, deceptus est Pontifex ille quisquis

fuert: unde Innoc. III. loc. cit. pronunciat nulla ex causa nequidem propter haeresim, dissolvi Matrimonii vinculum: quod postea definivit Conc. Trid., sess. 14, can. 5.

Respondet Pontius, l. 9, cap. 3, n. 16, multo majora esse argumenta ut credamus datam esse Ecclesiae potestatem dispensandi in votis. «*Facile enim, inquit, promittunt homines, facile eos poenitet promisisse; ideoque magna in eo fragilitas est. Adeo promissionem sibi factam facilius Deum remittere quam jus proximo quaesitum evertere; adeo nostrae salutis est studiosus. Id quod etiam videmus in nonnullis aliis, in quibus occurrente praecepto religionis et misericordiae, quod simul adimplere non potest, prevalere vult praeceptum misericordiae juxta illud, misericordiam volo et non sacrificium. Quod vero attinet ad dispensationem voti solemnem, redditur facile diversitatis ratio: quia in professionem fit etiam traditio religioni, quam acceptat Praelatus, et, eo non acceptante, non obligant illa vota, quorum fundamentum est traditio: cumque Pontifex sit ordinarius, cui etiam tamquam religionis superiori fit traditio, eam traditionem potest rejicere, eaque rejecta, cessat obligatio status religionis in illo.*» Ita Pontius.

An Matrimonium christianorum ratum et consummatum solvi posset per ingressum in religionem: quidve sit observandum, cum alter, vel ambo conjuges autem religionem ingredi, aut vir sacros Ordines suspicere desiderat.

Quaeres 1. An Matrimonium consummatum dirimatur per professionem religionis.

Resp. Negative. Quae hactenus adduximus momenta pro indissolubilitate Matrimonii responsionem nostram demonstrant. Ecclesia igitur non approbavit Justiniani leg. 56 Codicis, tit. 3, *De Episcopis et Clericis*, et aliam similem quae habetur in authenticis Collath. 4, tit. 1, *De nuptiis*, cap. 5, qua lege, sine ulla exceptione, conceditur facultas conjugalis *ad meliorem vitam migrandi*, et sub castitate vivendi, «*Etsi hoc lex humana concessit, ait S. Gregorius Magnus, lib. 11, Epist. 45, alias lib. 9, Epist. 39, lex divina tamen prohibet.*» Quamquam igitur ambo conjuges ex consensu mutuo continentiam vove-

rent, staret, nihilominus firmum inter illos consummati conjugii vinculum: cujus rei exemplum suppeditat S. Prosper in sua ad Aug. Epist. praefixa lib. de praedest. Sanctorum, ubi in fine ait: «*Sciat sanctitas tua, fratrem meum, cujus maxime causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu, perfectam Deo continentiam devovisse.*»

Quaeres 2. an conjux, altero conjugue invito, possit licite ingredi religionem, et valide profiteri.

Resp. 1. si conjugum unus incidit in crimen adulterii, posse alium, eo invito, religionem ingredi: quia reus excidit jure suo, ac divortii perpetui justam dedit caussam.

Resp. 2. sublata caussa legitima perpetui divortii, non potuit licite unum conjugem, altero invito, religionem ingredi, quia non est sui, sed alieni juris: vir quippe non habet potestatem sui corporis, sed mulier et vicissim. Extant in confirmationem hujus responsionis. in jure canonico bene multa SS. Patrum et Pontificum responsa. Caussa 27, q. 2, cap. *Sunt qui dicunt*: cap. *Agathosa*: cum asequentibus, Et caussa 33. q. 5, cap. *Si dicat*, cap. *Notificasti*, cap. *Mulier* Ibidem caussa 3, c. *Una sala*, cap. *Quod Deum*, cap. *Secundum*, unum hic ex his omnibus retulisse sufficiat Greg. I responsum in Epist. ipsius 50, lib. 44, alias 44, ad Hadrianum notarium: «*Agathosa*, inquit, *latrix praesentium questa est, maritum suum contra voluntatem suam in Monasterio Urbici Abbatis esse conversum. Quod quia ad ejusdem Abbatis culpam et invidiam non est dubium pertinere experientiae tuae praecipimus, ut diligenti inquisitione discutiatur, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit ut illum in Monasterio permanere provideat, et hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod vira licet relinquere uxorem, praedictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio uxori relictae in saeculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, vel si jam tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante ... Quia etsi mundana lex praecipit, conversionis gratia, utrolibet invito, posse solvi conjugium, divina tamen lex non permittit. Quia postquam copulatione viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in saeculo remanere.*» Haec. Greg. Magnus.

Ex quibus infers :

1. Non licere uni conjugi, invito altero, votum emittere continentiae, sive simplex, sive solemne; atque tale votum eo ipso nullum et irritum esse, quia vovit ille quod suum non est, sed alterius. Unde recte monet S. Aug. laudatus a Gratiano caussa 33, q. 5. c. *Una sola: Talia nec vovenda esse a conjugatis, nisi ex consensu et voluntate communi: et si praepopere factum fuerit, magis esse corrigendam temeritatem, quam persolvendam promissionem.*

2. Eum qui defectu consensus alterius conjugis invalide Religionem professus est, posse alterum contrahere Matrimonium post mortem prioris conjugis. Sequela videtur manifesta: cum enim nullum fuerit ejus votum, haud dubie liber est, aut in eodem statu, ac si namquam vovisset.

3. Idem dicendum esse de voto religionis implicito, quod includitur in illa professione: scilicet nullum illud esse, nullamque ex eo resultare obligationem; quia donatio illa de se facta religioni, non potuit subsistere.

4. Ejusmodi professum, invito conjugē, si revocatus exivit, non teneri, defuncto alio conjugē, ad religionem redire. Cap. *Quidem, et c. Placet, De Conversione conjugatorum*, in quorum primo dicitur *non teneri*: secundo vero tantum dicitur, adhortationibus cum illo agendum, ut redeat; non tamen cogendum. Si vero roges, an ille possit sponte sua exire, aut necessaria sit judicis sententia: respondet Sanchez posse illum sponte sua exire. Pontius e contra, l. 9, c. 11, n. 8, existimat tutius esse si exeat post sententiam judicis.

5. Conjugem eo modo professum, etiamsi postea uxor licentiam praebeat, adhuc posse resilire, et causam nullitatis professionis prosequi: quia toto eo tempore praecedente consensum uxoris, professio fuit nulla; accedente vero consensu, non convalescit, sed debet denuo profiteri, si voluerit se voto solemni alligare.

6. Conjugem illum invalide professum, qui toto tempore vitae alterius conjugis in religione mansit, posse, eo defuncto, a religione egredi: maxime si alter, dum viveret, reclamavit et contradixit. Ratio est, quia professio ab initio invalida, lapsu temporis non convalescit: sed neque mortes conjugis; opus enim erat nova ratificatione;

sola quippe mors alterius conjugis non sufficit ad ratam habendam professionem. Et idem est, si ille ignarus mortis conjugis, in sua professione persistit; et cum conscius factus est ejus mortis, exire vult, et ad saeculum regredi.

7. Eum qui in saeculo mansit non posse invito alio qui invalide professus est, ad religionem transire: quia ea professio non tenuit, et ex ea non amisit jus ne alius diverteret eo invito, cum non dederit causam perpetui divortii.

8. Eum conjugem invalide professum posse quoque resilire a religione, quamvis conjux, sine cujus licentia ingressus est, adulterium commiserit post alterius professionem. Nam licet conjux adulter amiserit per adulterium jus repetendi conjugem professum; attamen adulterio conjugis manentis in saeculo non convalescit professio alterius: quare cum ea sit omnino nulla, potest a monasterio recedere.

9. Denique inferes, idem dicendum esse de eo, qui transit ad religionem de licentia uxoris extorta metu cadente in virum constantem: licentia quippe haec nulla est.

Dices: cum Theonas abbas, de quo Cassianus Collat. 21, c. 9, non potuisse licentia obtinere ab uxore castitatem vovendi, illa renitente, Monachus factus est.

Resp. Factum illud ab omnibus approbatum non fuisse aperte ostendunt, quae subjicit Cassianus initio, c. 10: *«Nemo tamen existimet, inquit, nos haec ad provocanda conjugiorum divortia texuisse ... Ego autem qui non meam super hac re sententiam prompsi, sed rei gestae historiam simplici narratione complexus sum, aequum est, ut sicut mihi de eorum qui hoc factum probant, laudibus nihil vindico, ita eorum qui id improbant, non pulser invidia.»* Praeterea valde dubium est, an ipsemet Theonas putaverit sua ab uxore discessionem disruptum fore conjugale vinculum, qui ad eandem sic loquitur, cap. 9: *«Si fieri potest, ut ad hanc optatissimam mihi partem flectaris, scilicet ut Domino serviamus, charitatem conjugii non refuto, imo etiam majori adhuc delectatione complector: agnosco enim et veneror adjudtricem meam Domini sententia mihi deputatam, et inderupto eidem foedere charitatis in Christo cohaerere non respuo, nec a me separo, quod Dominus mihi primae statim conditionis lege conjunxit.»*

Quaeres 3. quid de jure necessarium sit, ut alter conjux transeat ad religionem post consummatum Matrimonium.

Resp. non tantum necessario requiri consensum alterius conjugis; etiam necesse esse, ut qui in saeculo remanet, si senex sit et absque incontinentiae periculo, votum castitatis emittat; si vero juvenis, ut religionem ingrediatur. Ita statuitur, c. *Cum sis, De conversione conjugatorum*: «*Proibemus, ait S. Pontifex, ne virum vel uxorem, nisi uterque ad religionem migraverit, transire permittas. Verum si ita uxor senex est et sterilis, quod sine suspitione possit esse in saeculo dissimulare poteris, ut ea in saeculo remanente et castitatem promittente, ad religionem transeat vir.*» Et cap. *Ad Apostolicam*: «*Non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat: sed et vitam debet mutare, nisi forte sit ejus aetatis, ut sine suspitione incontinentiae valeat in saeculo remanere. Debet autem ille ingressus in religionem fieri animo profitendi.*»

Quod si is, qui religionem de licentia alterius ingreditur, profiteatur, et alter non velit neque religionem ingredi, si juvenis est, neque votum emittere, si senex; in primis dicendum est professionem alterius valere, ex eo solum quod licentiam concessit, quamvis contra jus actum sit, ut sine voto vel ingressu alterius in religionem ille profiteretur. Quapropter sive conjux in saeculo manens juvenis votum emittat, sive non emittat juvenis neque senex, professio valet, unde si revocanti concedatur tenetur defuncto conjuge ad religionem redire: et Matrimonium postea contractum nullum est; et conjugi revocanti potest reddere debitum, non petere. Ex eo enim quod non servavit ordinem juris in altero conjuge requisitum, suspenditur observatio voti quoad alterum; solumque servat, quod ex parte sua est.

Unde inferes eum qui manens in saeculo votum emisit, non posse amplius revocare licentiam, quam alteri conjugi dedit, ingrediendi religionem; quia per hoc suum votum atque consensum, juri, quod habebat, renunciavit: at si votum non fecit, sed consensum praebuit, et est incontinentiae periculum, probabilius judicat Pontius, lib. 9, c. 12, n. 5, dari revocationi locum.

Quaeres 4. Quid requiratur ex jure, ut vir post contractum Matrimonium transire possit ad sacros ordines.

Respondeo 1. virum, invita uxore, sive ante, sive post consummationem non posse ad ordines sacros promoveri. Ratio est, quia Ordo sacer nullatenus Matrimonium dissolvit. Ita cap. *Conjugatus, de Conversione conjugatorum*. Et in Extrav. *Antiquae, de voto, quae est Joannis XXII*. Si ergo, invita uxore, vir ad sacros ordines promoveretur, staret quidem vinculum; at irregularis ille maneret: quia ut statuitur in dicta Extravaganti, etiam dissoluto Matrimonio, vel per mortem uxoris, vel per ingressum uxoris in religionem, vir neque in suscepto ordine ministrare, neque ad alium ascendere, neque ad beneficium aliquod assumi potest, nisi in religione aliqua approbata profiteatur: uxori igitur maritum, se invita, ordinatum reposcenti, reddi ille debet.

Respondeo 2. posse virum ex licentia uxoris promoveri ad sacros ordines, modo ipsa continentiam profiteatur in religione approbata. Ita statuit Alexander III, cap. *Sane, de conversione conjugatorum*: «*Prohibemus, inquit, ne uxorum praesumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professsa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat.*»

Olim in antiquis Canonibus nonnullis, uxor illius, qui ad Episcopatum vel praesbyteratum assumebatur, vocabatur Episcopa, presbytera; idest, uxor derelicta ab eo qui Episcopus vel presbyter factus fuerat.

De divortio.

An licita sit, et aliquando necessaria separatio conjugum quoad thorum et cohabitationem.

Divortium aliquando confunditur cum repudio, frequentius tamen distinguitur: repudium enim importat dimissionem uxoris quoad vinculum, divortium autem separationem quoad thorum et cohabitationem, ceteraque conjugii jura et commoda. Jus autem conjugii est individua vitae societas, tectum, mensa et lectus communis, rei familiaris in partem administratio, fortunarum omnium consortium, etc. Divortium ita nuncupatur, vel quod diversa sit aut discors mens aut indoles conjugum; vel quod in diversas abeant partes, qui Matrimonium distrahunt.

PRIMA CONCLUSIO.

Licet uxorem adulteram dimittere, et ab ea separari quoad torum, et cohabitationem.

Probatur ex cap. 5 et 19 Matth., ubi Christus permittit uxorem dimittere propter causam adulterii. Non permittit autem, imo prohibet ne dimittatur quantum ad vinculum: « *Qui dimiserit et aliam duxerit, moechatur,* » ergo permittit eam dimitti quantum ad torum et cohabitationem. Et vero, hoc ipso c. 19 Matth., v. 29, aperte Christus significat alia etiam, quam fornicationis causa, posse uxorem dimitti, aut ex mutuo consensu, aut ad majorem perfectionem. « *Omnis, inquit Christus, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* » Idem confirmat Apostolus, 1 Cor. 7, vers. 10. « *Is autem, ait, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus: uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari.* » Supponit hic Apostolus posse uxorem a viro discedere quoad torum et cohabitationem; nullatenus vero quoad nexum ac vinculum. « *Quod si discesserit, manere inuptam.* » Ita declaravit ac docuit Synodus Trid., sess. 24 de Matrim., can. 8, his verbis: « *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob nullas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.* »

Quaeres 1. an sit in utroque conjuge jus divortii adulterii causa.

Resp. Affirmative. Quia in his quae ad jus conjugii pertinent aequalis est viri et mulieris conditio, et sicut vir potestatem habet in corpus uxoris, ita et uxor in corpus viri.

Quaeres 2. Quid juris habeat conjux innocens et nocens post factum divortium.

Resp. posse innocentem, invito alio, qui reus est, aut vovere continentiam, aut religionem ingredi, ac in ea profiteri; est etenim liber ab omni debito conjugali conjugi nocenti persolvendo: si autem statum suum mutaverit resilire amplius non potest, nec alterum revocare. E contra reus, statum suum mutare non potest vovendo conti-

nentiam, vel religionem profitendo, quamdiu innocens jus retinet illum revocandi. Quod si praecesserit iudicis saecularis sententia detrudentis feminam in monasterium, conceditur innocenti biennium ad deliberandum, an velit conjugem repetere, et intra illud biennium professio conjugis adulteri nulla est, secus illo elapso. Authentica *Sed hodie*, ad legem Juliam *de adulterinis conjugis*, quae dispositio seu disciplina non fuit revocata per jus canonicum. Valet autem mutatio status facta a nocente, si vel innocens sciens non contradicat, eo enim ipso juri suo cedere praesumitur, vel si diligenter monitus nolit reconciliare, cap. *Gaudemus, De conversione conjugatorum*.

Dices: Id Christianis permitti non debet, quod potest plurimis ac gravissimis sceleribus locum et occasionem dare: atqui talis est dimissio uxoris adulterae e domo et cohabitatione mariti.

Resp. dist. ant. si per se natura sua, et ex necessitate locum et occasionem sceleribus praebet, concedo: si tantum per accidens, et habita ratione pravae dispositionis uxoris dimissae, nego. Porro talis est dimissio uxoris quoad thorum et cohabitationem. Quot enim sunt, ex quibus peccandi occasionem mali arripiunt a quibus tamen certis in casibus abstinere non licet? alias nec iudici liceret in necessitate iuramentum exigere, quia potest esse perjurii occasio, nec poenas criminum a reo repetere, quia nihil reum profuturum est, imo magis exasperandus sit ejus animus; nec Evangelii doctrinam praedicare illis, a quibus contumaciter rejicenda praevideatur.

SECONDA CONCLUSIO.

*Praeter crimen adulterii aliae plures esse possunt divortii
causae legitimae.*

Nempe immoderata saevitia, molesta cohabitatio, imminens subversionis sive a fide, sive a rectis moribus periculum.

1. De immoderata saevitia, sic loquitur Innoc. III, cap. *Littera. De restitutione spoliatorum*: « Si tanta sit, inquit, viri saevitia, ut mulieri traepidanti non posset sufficiens securitas provideri, non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri. » Et quidem vel ipso naturali lumine compertum est, neminem teneri objicere, se sine urgente causa evidenti periculo convitiarum, injuriarum, maxime si graves

sint, vel percussionum: unde et in membris sectio vel mutilatio, et in viciis scandalum et offensio nasci potest; quanto satius est fuga et separatione sibi consulere? An vero expectanda sit iudicis sententia priusquam fiat separatio, distinctione opus est: vel enim dimittentis saevitia ita publica est, ut negari non possit; vel occulta quodammodo. Si prius, potest conjux, non expectata iudicis sententia, discedere a viro: si vero occulta quidem est, sed innocenti et aliis paucis cognita, potest quidem discedere a thoro, non autem a domo, nisi post sententiam iudicis. Cum enim Matrimonium sit contractus publicus non debet nisi ex publica iudicis sententia fieri divortium, excepto adulterii casu, in quo potest conjux innocens ante iudicis sententiam alteri reo debitum negare, et ab eo quoad thorum separari. Ita S. Th., in 4, dist. 35, q. 2, art. 3.

2. Si periculum subversionis uni conjugum immineat ex cohabitatione cum altero, haud dubie non tantum licet, sed necesse est ex charitatis praecepto discedere. Ea de causa Esdrae l. 1, c. 10 v. 11, dicitur: «*Separamini ab uxoribus alienigenis;*» de quibus, l. 3 Reg., cap. 11, v. 2, Deus dixerat: «*Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.*» Quapropter S. Aug., lib. de fide et operibus, cap. 16, ait, «*rectissime dimitti uxorem, si viro suo dicat: non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras . . . aut si quod aliud vel facinorosum vel flagitiosum, in viro noverat . . . Tunc enim ille, cui hoc uxor dixit, si veraciter poenitens est . . . membrum, quod eum scandalizat, amputabit.*»

Quod si conjux conjugem ad peccatum non sollicitet, nec proinde periculum sit subversionis, quamvis aliunde multis ille vitiis deditus sit, non potest dimitti, iudice S. Hieronymo, in cap. 19 S. Matth.: «*Grave, inquit, pondus uxorum est si excepta fornicationis causa eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jugatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus, sustinenda est; cum enim essemus liberi, voluntarie, nos subjecimus servituti.*»

Quaeres an aliquid discriminis sit inter separationem propter adulterium et propter alias causas.

Resp. Affirmative. Tum quia separatio propter adulterium fit ex causa Matrimonio propria et quasi intrinseca; tum quia perpetua esse potest, quia violata est carnis unitas. Non ita est de aliis causis separationis, maxime cum vir ad meliorem mentem redit, ac vitii renunciat.

TERTIA CONCLUSIO.

Separatio conjugum non solum licita est, sed aliquando necessaria: potest tamen conjux innocens juri suo cedere, et uxorem adulteram non dimittere, vel dimissam certis in casibus revocare.

Primo, dimittere uxorem adulteram tenetur, vel cum nulla spes est emendationis, quo sensu dixit sapiens, Prov. 18, v. 22: «*Qui tenet adulteram, stultus est et insipiens.*» vel cum suspicio est turpissimi lenocinii, unde scandalum nascitur, quam ob causam Canones nonnulli poenam imponunt viris, qui adulteras uxores retinent: vel cum evidens est periculum subversionis, aut malae puerorum educationis. Quapropter S. Aug., lib. 1 retract., cap. 19, revocat quod scripserat l. 1 de Serm. Domini in Monte, c. 16, «*permissum esse, non jussum divortium.*» Ita canonibus praescribitur, cap. Si vir, tit. de adulteriis. «*Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, et ejus peccati participes;*» et cap. Si quis. Causa 22, q. 1. «*Maritus, qui cohabitaverit cum uxore adultera, tribus annis subjicitur poenitentiae.*»

Dixi, si nulla spes emendationis affulgeat: si enim illa resipiscat, ipsi condonandum est. Eod. cit. can. Si vir. «*Quod si mulier dimissa, inquit Canon, egerit poenitentiam, et voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non saepe, recipere peccatricem.*» Quo autem titulo debeat, exponit Glossa ibid: «*Debet, inquit, debito honestatis, et non necessitatis, quam etiam post poenitentiam posset eam accusare de adulterio.*»

Dictis vero causis aut periculis seclusis, nulla lege conjux innocens tenetur dimittere reum; quia potius, juxta monitum Apostoli, debet cum illo reconciliari. Imo nonnulli casus sunt, in quibus tenetur eum non dimittere, v. gr., 1. cum uterque adulterii pariter reus est; valet enim eo in casu regula juris: «*Dolus cum dolo delictum*

cum delicto compensatur: atque *periniquum videtur*, ait rescriptum Imperatoris Antonini a S. Aug. laudatum, lib. 2 de Adult. Conjug., c. 8, *ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet.* 2. Si vir adulterio uxoris consenserit. 3. Si adulterium involuntarium fuerit; puta si mulier per vim oppressa fuerit, vel alius per fraudem substitutus est in thoro. 4. Si vir occasionem et causam dederit uxoris adulterio, sive denegando ipsi, quae ad vitam necessaria sunt, sive a domo eam repellendo, aut alia quacumque duriori et injusta ratione cum ea agendo. 5. Si post adulterium cum illa reconciliatus fuerit, si ad societatem thori admiserit. 6. Si vir seipso continere non possit, et sit in proximo fornicationis periculo. 7. Si, ut mox dictum est, uxor certissima dederit emendationis ac poenitentiae signa, et sit in periculo evidentis aeternae damnationis nisi a viro revocetur: juvat enim virum esse in uxorem misericordem sicut desiderat in seipsum misericordem esse Christum. 8. Si in infidelitate uxor a marito praeter adulterii causam repudiata, alii viro nupserit, ac postea fuerit ambo ad fidem conversi et baptizati, maritus uxorem recipere tenebitur: sicut definit Innoc. III, cap. *Gaudemus, De Divortiis*. Ratio est quia non debet ut adultera a viro puniri, quae legum publicarum licentia cum altero contraxit.

ARTICULUS TERTIUS.

De necessitate et praecepto Matrimonii.

PRIMA CONCLUSIO.

Extat naturale ac divinum Matrimonii praeceptum.

Natura ipsa suggerit, conservationi ac propagationi generis humani consulendum esse, in quem finem institutum fuit Matrimonium. Divinum vero praeceptum his verbis contineri: *«Crescite et multiplicamini,»* multi existimant, sed alii melius opinantur his verbis Dei benedictionem ad foecunditatem creaturae designari, quia brutis animalibus dictum pariter fuit: *«Crescite et multiplicamini,»* quae tamen praecepti omnis sunt incapaces.

SECUNDA CONCLUSIO.

Initio generis humani lege naturae tenebantur omnes ad ineunda conjugia: non item post sufficientem humani generis propagationem. Multo minus in lege Christi tenentur omnes, et singuli ad Matrimonium quomodo necesse sit esse aliquos, qui ad conservationem speciei, aliquando ad propriam infirmitatem, et aeternum salutem, Matrimonio conjugantur.

Prima pars patet ex mox dictis.

Secunda non minus certa est. Legimus enim in lege veteri, postquam sufficienter propagatum fuit genus humanum, nonnullos sine injuria legis divinae, et naturalis, caelibes, et castos vixisse, quales fuerunt Josue, Elias, Jeremias. Unde Isaiae 56, et Sapientiae 3, laudatur castitas thori conjugalis nescia. Quod ergo legimus Deuter. 7 et Exodi 25: «*Sterilem non fore quemquam in terra Israelitica,*» non praecepti, sed promissionis sermo est, quo benedictio foecunditatis promittitur conjugibus Dei mandata servantibus: nam sterilis non dicitur, qui, vel quae non suspicit conjugium; sed qui conjugio utens, liberos suscitare non potest, eaque sterilitas in obprobrium et maledictionem reputabatur, ut patet exemplo Elisabeth. Lucae 1.

Tertia denique pars manifesta quoque est. Quamvis enim Matrimonium bonum sit, melior tamen est continentia, ad quam adhortatur Apostolus, 1 Cor. 7. Liberum igitur est in nova lege nuptias celebrare: imo necessarium quidem toti hominum communitati, sed non singulis hominibus, qui, quod melius est, sectari possunt. Sunt tamen, quos per accidens, ut dicitur, speciatim obligat lex ineundi Matrimonii, eos, v. gr., qui continentiae donum non habent: «*Melius enim est nubere, quam uri:*» qui sunt in proximo fornicationis periculo; aliquando etiam publica et communis regnorum utilitas postulat, ut Principes vel alii viri primarii conjugali foedere uniantur.

Intorno agli sponsali, ved. SPONSALI.

DIZIONARIO

TEORICO-PRATICO

DI CASISTICA MORALE

13

DIZIONARIO

TEORICO-PRATICO

DI CASISTICA MORALE

Che comprende

TUTTE LE DOTTRINE POSITIVE ED I CASI PRATICI
DELLA TEOLOGIA MORALE

COMPILATO DA UNA SOCIETÀ DI TEOLOGI

Sulle celebri Opere

DI SAN TOMMASO, S. ANTONINO, CARDINALE GAETANO, PADRE CONCINA,
LANBERTINI, SCARPAZZA, PATUZZI, PONTAL, ANTOINE, SANCHEZ,
SUAREZ, FIRHING, EC. EC.

E DIRETTO DA

MONSIG. CAN. D.^R LUIGI MONTAN

IMP. REG. CENSORE, EC. EC.

TOMO QUINDICESIMO

· VENEZIA

COI TIPI DI GIUSEPPE ANTONELLI ED.

PREMIATO CON MEDAGLIE D'ORO

1845

NAUFRAGIO E NAUFRAGO

Naufragio si appella quella disavventura che avviene a taluno, alloraquando sospinto dalla procella rompe negli scogli, o viene inghiottito dall' acqua.

Questa disavventura fu sempre fra le più gravi riputata ; sicchè Ovidio di essa cantava :

Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Lib. 1 Trist., El. 2.

Naufrago quegli addimandasi cui un tale infortunio succede.

C A S O 1.°

Spurio caricò la sua nave di merci consegnategli da dieci mercadanti pel trasporto di esse in Londra. Non potendo poi egli partire affidò la nave a Liviano, il quale incontrò nel viaggio sì fiera burrasca, che dovette gettare nell'acque le merci che avea nella parte superiore, e che appartenevano a due dei detti mercadanti, e con questo mezzo potè salvare le altre e giungere in porto. Cercasi se Spurio sia rispondente del danno per aver affidato il naviglio a Liviano, e se non essendolo, di chi abbia ad essere la perdita ?

Convien qui sapere se dalla direzione di Liviano sia o no derivata la necessità di dover gettare nell' acqua le merci, cosicchè quand' anche stato vi fosse Spurio, non avrebbe potuto salvarle. Se questa necessità provenne dalla forza della tempesta, egli è manifesto che Liviano non ha colpa, e che Spurio non può essere tenuto ai danni, di cui non è causa il da lui commesso. Nella nostra ipotesi si può considerare Spurio come un mandatario, il quale se commette l' affare ad un terzo è sempre risponsabile dell' esito secondo la colpa con cui il terzo si presta nell' adempimento dei suoi doveri. Se quindi non è imputabile alcuna colpa a Liviano, nemmen per lui ne deve

essere aggravato Spurio. Che se il danno derivò dalla direzione di Liviano, cosicchè se stato vi fosse Spurio la nave non avrebbe corso il pericolo di naufragare, allora convien sapere se i mercadanti abbiano caricate le merci nella sicurezza, che Spurio montasse la nave, oppure coll' intelligenza che la nave sarebbe stata diretta da Liviano. Nella prima ipotesi Spurio è tenuto al risarcimento, non già nella seconda. La ragione della prima parte si è, perchè affidarono le loro merci a Spurio, certi che avrebbe eseguito il trasporto superando ancora delle tempeste, e perchè Spurio è rispondente dei danni, di cui l' imperizia di Liviano ne fu cagione. Che se egli non poteva partire, era tenuto a renderli avvertiti, affinchè potessero o no risolvere di affidare a Liviano le loro sostanze. La ragione poi della seconda parte è manifesta, perchè sapendo che la nave era diretta da Liviano, avventurarono le merci alla direzione di lui, e così liberarono Spurio dalla sua responsabilità per Liviano.

Ma se non vi è colpa in Liviano, allorchè fu la forza della burrasca da cui derivò la perdita di quelle merci. Di chi deve essere il danno? Subirlo devono i mercadanti tutti, oppure quei soli, dei quali erano le merci gettate in mare? Anche in questa parte è necessario premettere qualche distinzione. Se i mercadanti l' uno dopo l' altro convennero pel trasporto assegnando il sito della nave, in cui doveano essere collocate le loro merci, egli è chiaro, che i due ultimi furono contenti che le proprie merci fossero riposte superiormente; e perciò al pericolo, che nella circostanza di naufragare fossero le prime ad essere gettate nell' acqua. Siccome pertanto dovrebbero i primi sottostare alla perdita o danno delle proprie merci collocate nel fondo, se ivi apertasi la nave avessero le prime sofferto; così gli ultimi sono soggetti ai pericoli e danni, cui a cagione del sito sono esposte le merci loro, avendo a questo implicitamente aderito contentandosi che fossero ivi pel trasporto collocate. Se poi tutti i mercadanti consegnarono le merci senza alcuna contrattazione relativa al sito della nave, io dico che tutti insieme devono sottostare al danno delle merci gettate nell' acque, perchè appunto con questa perdita furono salvate le altre. Abbiamo anche la legge Rodia ff. de jactur., l. 14, che così ha stabilito: « Si levandae navis gratia, jactus mercium factus est omnium

contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. » E lo stesso pure emerge dalla legge *Si laborante* 2, ff. dello stesso titolo: « *Æquissimum est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut merces suas salvas haberent.* »

Se tutti i mercadanti devono concorrere alla perdita, cercasi ora con qual proporzione debba essere ripartito il danno? Questa difficoltà viene sciolta da ciò che segue nella legge ultimamente riportata. « *Portio autem pro aestimatione rerum, quae salvae sunt, et earum quae amissae sunt praestari solet. Nec ad rem pertinet, si hae, quae amissae sunt pluris venire poterant, quoniam detrimenti non lucri fit praestatio; sed in his rebus, quarum nomine conferendum est, aestimatio debeat haberi, non quanti emptae sint sed quanti venire possunt.* » Ognuno adunque deve contribuire secondo la merce che ha salvata. Devono considerarsi le merci salve secondo il prezzo, onde possono essere vendute, e le merci gettate nell'acque secondo il loro valore di acquisto, e distribuirsi la perdita proporzionatamente tra tutti i mercadanti. Delle merci salve il prezzo deve essere quello della vendita, detratte le spese, perchè appunto colla perdita delle merci gettate in mare acquistarono quell'aumento ed è quello il vero valore salvato dalla burrasca, laddove queste per nulla aumentarono, e la perdita reale non eccede l'esborso fatto nella compra delle medesime. Nè si dica, che devesi aver riflesso anche alla gravità delle merci, ed allo spazio che occupavano, perciocchè il prezzo è quello che fu salvato dal Naufragio, e non il volume delle cose, e lo spazio che comprendeva. La stessa legge *Si laborante*, così soggiunge: « *Cum in eadem nave varia mercium genera complures mercatores coegissent, praetereaque multi vectores, servi, liberique in ea navigarent, tempestate gravi orta necessario jactura facta erat, quaesita deinde sunt haec: an omnes jacturam praestare oporteat; et si qui tales merces imposuissent, quibus navis non oneraretur, veluti gemmas, margaritas, et quae portio praestanda est: et an etiam pro liberis capitibus dari oporteat, et qua actione ea res expediri possit. Placuit omnes, quorum interfuisset jacturam fieri, quia id tributum conservatae res deberent. Itaque dominum etiam navis proportionem obligatum esse.* » Adunque secondo questa legge devesi ancora rilevare il valore della nave, essendo tenuto il

padrone a contribuire la sua parte, perchè anche la nave è stata salvata colla perdita di quelle merci. Non si deve finalmente rilevare il prezzo delle cose necessarie alla vita, come è chiaro dalla stessa legge.

MONS. CALCAGNO.

C A S O 2.°

Aurelio, avendo caricata la sua nave con molte merci di parecchi mercadanti, s' avventurò al viaggio, e corse pericolo di naufragare. Salvò per altro tutte le merci mercè il taglio degli alberi, ma perdette un' ancora. Cercasi se debba essere dai mercadanti proporzionatamente compensato?

È necessario distinguere il taglio degli alberi dalla perdita dell' ancora. Il taglio si fa per evitare il Naufragio, ed il padrone della nave intende col taglio di alleggerirla così che possa resistere alla tempesta, o salvar la vita a sè stesso ed ai marinari, e salvar pure le merci. L' ancora è poi uno di quegli istromenti, di cui è tenuto il padrone a guernir la sua nave, per il quale riceve dai mercadanti il prezzo noleggiando la nave. È vero, che anche gli alberi entrano in parte di quelle cose della nave, che formano la base del contratto coi mercadanti, ma è vero altresì, che gli alberi devono stare entro la nave, e l' ancora deve essere gettata in acqua. Ed è anche vero, che se l' ancora si perde per un caso meramente fortuito, in cui non entra la determinazione del padrone, laddove se si recidono gli alberi, si tagliano per volontà del padrone, onde con questo mezzo salvar la vita e le merci. Quindi è, che la perdita dell' ancora deve stare a carico del padrone, e quella degli alberi a carico dei mercadanti e del padrone della nave proporzionatamente, come abbiamo esposto nel Caso precedente. Ciò quanto all' ancora apparisce chiaramente dalla legge *Si laborante ff. 2. 1, de jactura*, che così è espressa: «*Si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut si quidem exar-maverit, nulla facienda est collatio, quia dissimilis earum rerum causa sit, quae navis gratia parantur, et earum, pro quibus mercedem aliquis acceperit. Nam etsi faber malleum aut incudem fregerit, non imputaretur ei, qui locaverit opus.*» Quanto poi agli alberi, ed intorno agli altri stromenti, che venissero gettati nel mare ad oggetto, che alleggerita

la nave possa resistere alla tempesta, abbiamo l'altra legge *Cum arbor* nei Digesti sotto lo stesso titolo, che così appunto stabilisce: «*Cum arbor, aut aliud navis instrumentum removendi communis periculi causa dejectum est, contributio debeatur.*» Adunque Aurelio può pretendere il compenso per la recisa arboratura, ma non per l'ancora perduta.

SCARPAZZA (*Ediz. Rom.*).

C A S O 3.º

Crispino caricò nella nave di Torquato molte merci, nella quale però ne aveano prima caricate delle altre parecchi mercadanti, affinché fossero trasportate a Costantinopoli. Per incontrata burrasca si dovettero gettar nelle acque le merci di un mercadante, e quelle di Crispino bagnate dai flutti deteriorarono non poco. Crispino è pronto a concorrere nel danno derivato dalle merci gettate in mare, ma vuole insieme essere compensato di quello che le sue merci soffersero. Cercasi se abbia ragione?

Rispondo che sì, e ch'è tenuto a concorrere al danno delle merci gettate in mare in proporzione del valore delle sue merci deteriorate a causa della burrasca, e la legge *Navis* 4, §. 2, ff. de *Rhodia*, de *jactu* ce lo insegna: «*Cum autem jactus de nave factus, et alicujus res, quae in nave remanserunt, deteriores factae sunt, videndum an conferre cogendus sit, quia non debet duplici damno onerari, et collationis, et quod res deteriores factae sunt? Sed defendendum est hunc conferre debere. Sed nunc videamus, num et ipsi conferri oporteat: quod enim interest jactatas res meas amiserim, an nudatus deteriores habere coeperim? Nam sicut ei, qui perdiderit, subvenitur, ita et ei subveniri oportet qui deteriores propter jactum res habere coeperit. Haec ita Papyrius Fronto respondit.*» La ragione si è, perchè il deterioramento delle merci venne cagionato dal gettare le altre merci nell'acque, onde salvare il resto, e perciò siccome la causa di ricuperare le altre merci fu quella che si gettassero le merci nell'acque, e che quelle di Crispino soffrissero il degrado del loro valore, così ne deve essere compensato il prezzo delle merci gettate e deteriorate, e deve Crispino concorrere, secondo il valore attuale delle sue merci, al compenso

delle merci perdute se non perchè quel solo valore fu salvato e non più.

MONS. CALCAGNO.

C A S O 4.°

Acrone pescò in mare un'ancora, che conobbe essere stata perduta da un vascello, che da molto tempo avea naufragato, e consultato altro padrone di barca intese, che potea appropriarsela per essere cosa abbandonata. Cercasi se gli effetti perduti in Naufragio possano ritenersi come abbandonati dal loro padrone, e quindi proprii di chi li rinviene?

Tanto le cose che dall' impeto della burrasca o per forza dei venti, o per veemenza dell' onde sono gettate nel mare, quanto quelle, che i marinari vi gettano per alleggerire la nave e salvare la loro vita, non cessano giammai di essere del loro padrone, nè devono considerarsi come abbandonate. Così insegna il Silvio, in 2, 2, q. 66, a. 5, concl. 8, ed abbiamo la legge civile e canonica che così pure stabilisce. La legge Pomponius 44 dei Digesti al titolo: *De acquirendo rerum dominio*, dice: « *Si naufragio quid amissum, non statim nostrum esse desinere*; » e la legge *Interdum* 21, parimenti dei Digesti al titolo *de acquirenda vel amittenda possessione*, è così espressa: « *Quod ex Naufragio expulsum est non est in derelicto, sed in perdito.* » Se la prima legge ritiene, che non si perda ciò che nel Naufragio è uscito dalla nave, l'altra poi vieta che si abbia come abbandonato, *non est in derelicto*, quello che viene gettato nell' acque. Vegliamo ora quello che stabiliscono i Canoni della Chiesa. Noi abbiamo la bolla *Romanus Pontifex*, ch' è la vigesima di Giulio II, data il dì 24 febbrajo 1509, nella quale si legge: « *Nos considerantes tam civili, quam canonica lege licere unicuique Naufragium suum impune colligere, ac jacta in mari alleviandi oneris causa, recuperare, illaque diripientes furtum committere, ac graviter delinquere; ac christianos Naufragium patientes rebus suis spoliantes diversis poenis puniri; et propterea consuetudinem praedictam tamquam contra regulam fidei, qua unus alteri auxilio esse tenetur, merito corruptelam appellari, neminique suffragari debere, cujuscumque temporis cursu munitam . . . Consuetudinem capiendi et retinendi bona per Naufragium vel jactum,*

levanda navis gratia, aut aliaur gente necessitate factum nulli in iudicio, vel extra illud suffragare debere, auctoritate Apostolica tenore praesentium discernimus et declaramus. Lo stesso decretò Paolo III nella sua Costituzione *Accepimus* del dì 15 marzo 1545, e precedentemente a questi due pontefici avea di tal guisa sancito Gregorio VII, nel suo Concilio Romano, come può vedersi presso Antonio Agostini, *lib. 35, t. 10*, ed anche Alessandro III, come si legge nel cap. *Excommunicationi 3 de Raptoribus*.

Adunque malamente fu consigliato Acrone, che poteva far sua l'ancora che avea pescato nel mare quantunque conoscesse essere stata da molto tempo perduta da un vascello in Naufragio, poichè dalle leggi citate è manifesto, che le cose di Naufragio non cessano di essere del padrone che le ha perdute, e che è un vero furto l'appropriarsele, come appunto non si può alcuno far propria la cosa che altri ha smarrita, se non nel caso, che possa giudicarsi ragionevolmente che sia stata abbandonata, il che non ha luogo nei Naufragj, ove qualunque perdita si ritiene come perdita, ma non già come abbandono.

MONS. CALCAGNO.

C A S O 3°.


Papirio, avendo naufragato una nave, raccolse sulla spiaggia delle merci, e le portò in sua casa con animo di restituirle al padrone. Ottone sulla spiaggia camminando ritrovò un oriuolo d'oro, che s'accorse essere stato perduto in Naufragio, e portollo in casa sua senza nulla pensarvi. Nerazio sulla spiaggia rinvenne sparso del grano turco e se ne appropriò in piccola quantità per mangiare in quel dì usando molta pazienza per unirlo meschiato come era coll'arena. Tutti tre agitati da rimorsi di coscienza accorrono a Raggio confessore, il quale ricusa di assolverli, dicendo che sono incorsi nelle pene fulminate dalla Bolla *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia* di Urbano VIII. Cercasi se Raggio siasi rettamente diportato?

Rispondo francamente, che no. Se ben si consideri il tenore dell'accennata Bolla deve ognuno rimanere convinto, che riguarda furti che vengono fatti dei Naufraghi, sicchè deve dirsi, che il Pontefice con quella sua Costituzione non ebbe in mira se non di salvare

Quid alteri concupiscentiam importamus? Quam si Deus non ampliando legem, a facta stupri non discernat in poena, nescio an impune habeat, quae alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul ut tuam formam concupierit, et facta es tu gladius illi: ut etsi a culpa vaces, ab invidia non libereris. Ut cum in alicujus agro latrocinium gestum est, crimen quidem Dominum non contingat: dum vas tamen ignorantia notatur, ipse quoque in familia aspergitur... Cum igitur et nostra, et aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, jam non tantum confictae, et laboratae pulchritudinis suggestum recusandum a vobis sciat, sed etiam naturalis spcciositatis obliterandum dissimulatione, et incuria ut perinde oculorum incuribus molestum. Nam etsi accusandus decor non est ut felicitas corporis, ut divinae plasticæ accessio, ut animae aliqua vestis bona; timendus tamen est propter injuriam et violentiam spectatorum, quam etiam pater fidei Abraham in uxoris suae specie pertimuit, et sororem mentitus Saram, salutem contumelia redemit.»

Poscia al cap. 9 soggiunge: «*Hae pompae quam e proximo curent luxuriae negotium, dignoscere in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituunt. Adeo si desint irritam et ingratham reddunt, velut exarmatam et naufragam. Contra si forma defecit, adminiculum nitoris quasi de suo gratiam supplet. Aetates denique requietas jam et in portum modestiae subductas splendor et dignitas cultus avocant, et severitatem appetitionibus inquietant, compensantibus scilicet habitus irritamentum pro frigore aetatis.»*

Indi al cap. 11, parla del seguente tenore. «*Propter ipsum enim conventum, et mutuam videre, ac videri omnes pompae in publicum proferantur ut aut luxuria negotietur, aut gloria insolenscat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur. Quodvis horum gravitatis et sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario, et composito et soluto. Ac si necessitas amicitiarum, officiorumque gentilium vos vocat; cum non vestris armis indutae proceditis, tanto magis, quanto ad extraneas fidei? ut sit inter ancillas diaboli, et Dei discrimen, ut exemplo sitis illis, ut aedificentur, in vobis, ut, quomodo ait Apostolus, **MAGNIFICETUR DEUS IN CORPORE VESTRO.** Magnificetur autem per pudicitiam, utique et per habitum pudicitiae competentem. Sed enim dicitur a quibusdam:*

*Ne blasphemetur nomen in nobis, si quid de pristino habitu et cultu detrahamus. Non auferamus ergo vobis et vitia pristina, simul et moribus iisdem, si et superficie eadem: et tunc vere non blasphemabunt nationes. Grandis blasphemia si qua dicatur: Ex quo facta est christiana, pauperius incedit. Timebit pauperior videri, ex quo locupletior facta est; et sordidior, ex quo mundior? Secundum Gentilium, an secundum Dei placitum incidere christianos oportet?**

Sant'Agostino nel 3 lib. della dottrina cristiana al cap. 12, così favella: «*Sicut talares et manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat ... sic animadvertendum est in caetero quoque casu rerum abesse oportere libidinem. Quae non solum ipsa eorum inter quos vicit, consuetudine nequiter abulitur, sed etiam saepe fines ejus egressa, foeditatem suam, quae inter claustra morum solemniium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat.*» E con più chiarezza dispiega la sua mente il S. Dottore nella lettera 75 ora 245: «*Nolo, dice, tamen de ornamentis auri vel vestis praeproperam habeas in prohibenda sententiam, nisi in eos qui neque conjugati, neque conjugari cupientes cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quae sunt mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis, nisi quod capillos nudare foeminas (quas etiam velare caput Apostolus jubet) nec maritatus decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam maritos se nolle decipi, quibus solis permittendae sunt feminae ornari secundum veniam, non secundum imperium.*»

S. Gregorio Magno nella 40 Omelia sopra gli Evangelii fra le altre cose inveisce contro i vani Ornamenti muliebri, dicendo: «*Sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilantiter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quaerit, videlicet ut honorabilior caeteris videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quaeritur res ipsa testatur quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui ubi ab aliis non possit videri.*»

Peccano le donne adulterandosi il volto con il belletto affine di mostrare quella bellezza che non posseggono, od accrescere quella che hanno.

Fino al presente abbiamo veduto quanto dalla Scrittura sia abborrito e condannato lo smodato Ornamento muliebre, e come i Padri di egual modo si diportarono. Ora è di necessità che richiamiamo ad esame il modo usato dalle donne di dipingersi il volto con colori, la quale invenzione dal celebre Tertulliano è chiamata invenzione diabolica, *lib. de cult. foemin., cap. 5*, dove primamente ammonisce le donne a non lasciarsi trascinare da cotal modo di operazione: « *Haec utique, cioè quelle cose dette di sopra, così Tertulliano prosegue, non ad crudam in totum, et ferinam habitudinem insinuandam vobis suggeruntur, nec de bono squaloris et pudoris suademus; sed de modo et carne, et justitia corporis excolendi.* » Poi prosegue nel modo seguente: « *Non supergradiendum ultra quam simplices et sufficientes munditiae concupiscunt, ultra quam Deo placet. In illum etiam delinquant quae cutem medicaminibus ungent, genas rubore maculant, oculos fuligine colliniunt. Displicet illis nimirum, plastica Dei in ipsis redarguunt, et reprehendunt artificem omnium: reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adversario artifice sumentes additamenta ista, idest diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui et hominis spiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate hujusmodi ingenia concinnavit, ut in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Divino operi Satanae ingenia superducere, quam scelestum est? Servi nostri ab inimicis nostris nihil mutuuntur, milites ab hoste Imperatoris sui nihil concupiscunt. De adversario enim ejus in cujus manu sis, aliquid usui postulare, transgressio est. Christianus a malo illo adjuvabitur? Nescio an ei nomen perseveret. Erit enim ejus de cujus doctrinis instrui concupiscit. Quantum autem a nostris disciplinis et professionibus aliena sunt, quam indigna nomine christiano faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur? Effigie mentiri quibus lingua non licet? Appetere quod datum non sit, quibus alieni abstinentia traditur? Adulterium in*

specie exercere, quibus studium pudicitiae sit? Edicite benedictae: quomodo praecepta Dei custodietis, lineamenta non custodientes?

*Video quasdam et capillum croco vertere. Pudet eas etiam nationis suae, quod non Germanae, non Gallae sint procreatae: ita patriam capillo transferunt . . . Crocum capiti suo mulier christiana ingerit, ut in aram. Quodcumque enim immundo spiritui exeremari solet, id, nisi probis et necessariis et salubribus usibus adhibeatur, ad quod creatura Dei est prospecta, sacrificium videri potest. Sed enim Dominus ait: **QUIS VESTRUM POTEST CAPILLUM ATRUM EX ALBO JACERE, AUT ALBUM EX ATRO?** Haec quae revincunt Deum, Ecce, inquit, pro albo vel atro flavum facimus gratiae faciliorem: quamvis et atrum ex albo facere conantur, quas posnituit ad senectam usque vixisse, Proh temeritatem! Erubescit aetas exoptata votis, furtum confitetur, adolescentia in qua deliquimus, suspiratur, occasio gravitatis interpallatur. Absit a sapientiae filiabus stultitia tanta. Senectus, cum plus occultari student, plus detegetur. Haec est aeternitas nostra de capitis juventute ... Quid enim tanta ornandi capitis onerositas ad salutem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliae gestiunt in cincinnis coercere, aliae ut vagi, et volucres elabantur non bona simplicitate. Affigitis praeterea nescio quas enormitates sutilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, et operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum. Mirum quod contra Domini praecepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronuntiatum est. Vos plane adjicitis ad pondus collyridas quasdam scutorum umbilicos cervicibus adstruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsitan nocentis, et gehennae destinati, sancto et christiano capiti supparetis. Immo hanc ornatus servitutem a libero capite propellite. Frustra laboratis ornatae videri; frustra peritissimos quoque structores capillaturae adhibetis. Deus vos velari jubet: credo, ne quarumdam capita videantur. Atque utinam miserimus ego, in illo die christianae exultationis, vel inter calcanea vestra caput elevans videre, an cum cerussa, et purpurisso, et croco, et in illo ambitu capitis resurgatis. An taliter expictum Angeli in nebula sublevabunt obviam Christo. Si nunc bona, et Dei*

sunt, tunc quoque occurent resurgentibus corporibus, et sua loca agnoscent, » ecc.

Non in un modo diverso da Tertulliano parla S. Cipriano nel lib. *De habitu virginum*: «*Dicit Deus, sono parole di lui, FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM NOSTRAM. Et audet quisquam mutare et convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt quando id, quod ille formavit, reformare et transfigurare contendunt nescientes quod opus Dei est omne quod nascitur; diaboli, quodcumque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicujus, et speciem, et corporis qualitatem aemulo colore signasset, et signato jam, consummatoque simulacro, manus alius inferret ut jam formata, jam picta, quasi peritior reformaret: gravis prioris artificis injuria, et justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbae temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines et incesta facis lenocinantibus non sis, corruptis, violatisque quae Dei sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, praevaricatio est veritatis. Monentis Apostoli vox est: «*EXPURGATE VETUS FERMENTUM, UT SITIS NOVA CONSPERSIO, SICUT ESTIS AZYMI. NAM ET PASCHA NOSTRUM IMMOLATUS EST CHRISTUS. ITAQUE FESTA CELEBRAMUS, NON IN FERMENTO VETERE, NEQUE IN FERMENTO MALITIE, ET NEQUITIAE, SED IN AZYMIS SINCERITATIS ET VERITATIS.*» Nam sinceritas perseverat, et veritas, quando, quae sincera sunt, polluuntur; colorum adulteriis, et adulterinis medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit: «*NON POTES FACERE CAPILLUM TUUM ALBUM AUT NIGRUM.*» Et tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te efficere potiozem? Audaci conatu, et sacrilego contemptu crines tuos inficis, malo praesagio futurorum capillos jam tibi flammecos aspicias, et peccas, proh nefas! capite, idest corporis parte melior. Et cum scriptum sit de Domino: «*CAPUT AUTEM EJUS ET CAPILLI ERANT ALBI VELUT LANA AUT NIX:*» tu execraris canitiem, detestaris alborem, qui sit ad Domini caput similis? Non meruis, oro, quae talis es, ne cum resurrectionis dies advenerit, artifex tuus te non recognoscat, ad sua praemia, et promissa venientem removeat, et exclu-*

dat: increpans vigore censoris et iudicis dicat: Opus hoc meum non est, nec imago nostra est? Cutem falso medicamine polluisti, crimem adultero colore mutasti: expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est. Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos, atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter et arsura . . . Viderint quid sibi nuptae per placendi studium de conjugum solatio blandiantur; quos, dum in excusationem suam proferunt, ad societatem criminosaе consensionis adsciscunt.»

S. Ambrogio, nel lib. 1 de *Virg.*, cap. 6, con la somma fluidezza dell' eloquenza, e colla forza del suo argomentare, ribatte così il futile pretesto delle spose, e lo rivolge contro di esse stesse: «*Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quaesitis coloribus ora depingant dum viris displicere formidant, et de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis. Quanta hic amentia, effigiem mutare, naturae picturam quaerere, et, dum verentur maritale iudicium, prodere mundo. Prior enim de se pronuntiant, quod cupit mutare quod nata est. Item dum aliis studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem iudicem, mulier, veriore[m] requirimus deformitatis tuae quam te ipsam, quae videri times? Si pulchra es, quid absconderis? Si deformis, cur formosam te esse mentiris, nec tuae conscientiae, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit: tu alteri vis placere? Et irascaris, si amet alienam, qui adulterare in te docetur? Mala magistra es injuriae tuae. Lenocinari enim refugit etiam quae passa lenonem est; ac licite vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat: tolerabilioraque propemodum in altero crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.»*

Questa stessa dottrina conferma S. Girolamo nella lettera 23 a Marcella: «*Illae christianae oculos scandalizent potius quae purpurisso, et quibusdam fucis, ora, oculosque dipingunt, quarum facies gypseae, et nimio candore deformes, idola mentiuntur: quibus si forte improvidis lacrymarum stilla eruperit, sulco defluit: quas nec numerus annorum potest docere, quod vetulae sint, quae capillis alienis verticem struunt: et praeiteritam juventutem in rugis anilibus poliunt: quae denique aut nepotum gregem trementes virgunculae componuntur. Erubescat mulier christiana si naturae cogit decorem, si carnis curam facit ad concupi-*

scentiam, in qua qui sunt, secundum Apostolum, Christo placere non possunt. »

Finalmente, per omettere gli altri scrittori, conchiuderò questo punto recando alcuni versi dell' Epitalamio di S. Paolino, contro Giuliano e la moglie di lui.

*Absit ut idolici videatur filia templi,
Gentis apostolicae filia facta domo.
Non fucis male ficta cutem, neque lumina nigro
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.
Purum naturae decus aspernata superbo
Crimine, divinum in se sibi damnat opus.
Frustra haec se mulier juctaverit esse pudicam,
Quae se tam variis ornat adulteriis.
Vos autem, juvenes Christi, fugite omnia quorum
In damno pretium est, usus in interitu.
Credite divinis verbis, de cultibus istis
Poenulam cupidis surgere materiam.*

*Quando il superfluo Ornamento muliebri debbasi riputare
peccato mortale, e quando veniale.*

Intorno ad una cosa di tanta importanza, io riferirò quanto sta scritto nel Concina, *Theolog. Dogmat. Moral. edit. 2, tom. 2, p. 156, Romae*. Egli scrive così: « *Ut materia adeo involuta et perdifficili extrema devitamus illud semper memoria repetendum est, ornatum scilicet muliebrem licitum esse, suaeque natura indifferentem. Quod autem absolute malum non est illius excessus, vel defectus numquam mortalis est, usquedum intra sui generis limites consistit; sed venialis tantum, ut optime Cajetanus, 2, 2, quaest. 169, art. 2, ostendit. Idque patet in quodlibet vel indifferentis usu, ut in appetitu honorum, divitiarum, cibi et potus. In his enim excessus, omni circumstantia extranea praecisa, non est mortalis, sed venialis, eo quod superfluus usus sit rei quae natura sua mala non est; sicuti non esse curam proprii corporis, pulchritudinem, muliebremque ornatum estensum est. Quare mulieres quae, ut viris suis placeant, in pretiosioribus vestibus, anulis, monilibusque*

excedunt, non nisi venialiter delinquunt, re absolute spectata inter genus ornamenti. Item dicendum de puellis nuptias anhelantibus, immo de mulieribus generatim, quae ob inanem quamdam jactantiam, vel ut inter caeteras pulchrae appareant nonnisi venialiter: quas delinquere dicendum videtur, docentque communiter theologi.

Advertendum tamen est, quod plurimae et frequentissimae occurrunt circumstantiae, vi quarum excessus istius ornamenti graviter criminosis evadit. Prima est pravus finis provocandi ad venerem. Secunda effectus qui inde passim sequuntur, injustitiae nimirum, furta, solutionis debitorum omissio, mercedis retentio, eleemosynarum neglectus, patrimonii cum filiorum damno dilapidatio. Tertia affectus impetens, atque ita paratus, ut nihil curet vel ipsum peccatum, dummodo suam expleat, satietque cupiditatem. Postrema, et omnium frequentissima, est scandalum proximi, qui ob inverecundum, fulgidumque ornatum ad libidinem illicitur. Hae circumstantiae aut conjunctim aut separatim, passim occurrunt. Idcirco mulieres, quae nulla cohibita modestiae, verecundiae ac temperantiae lege, hodiernae consuetudini, quae vulgo MODA nuncupatur, sese dedunt, quaeque nullum non movent lapidem, ut suo vano genio satisfaciant, vix culpam gravem evadunt.»

Non contento però di ciò, trascriverò quivi quanto dice intorno a tale argomento Sant'Antonino arcivescovo di Firenze. «Quantum ad ipsum ornatum in se duo possunt ibi vitia inveniri; scilicet superfluitas expensae, quae pertinet ad prodigalitatem; et incentivum, seu excitativum libidinis, ad quod illud inducit. Et quantum ad superfluitatem, quum non omnis prodigalitas sit mortale, sed aliquando, et frequentius veniale; ideo isto respectu non poterit illud judicari mortale, nisi fuerit valde evidens, et enormis excessus ... Quantum autem sit ille excessus quoad superfluitatem, seu prodigalitatem ornatus, quod faciat mortale, fateor me nescire dare regulam generalem, nec de facile posse dari; nec reperio aliquem dedisse. Unde prudentiae et arbitrio boni viri relinquendum est. In quantum vero ipse Ornatu mulieris est provocativus ad lasciviam, videtur ibi distinguendum de occasione data sufficienter, vel accepta Poterit autem esse tantus excessus, quod erit ibi occasio etiam data ex parte mulieris se ornantis. Qualis autem sit iste excessus, ut mortale valeat judicari, ad arbitrium boni viri videtur dimittendum.

Boni viri, dico, non solum in conscientia, sed in sufficienti peritia circa hujusmodi. Sed ex his, quae notat Alexander de Ales in suo II non de facili debent hujusmodi mulieres de mortali condemnari.»

Le donne che si fregiano di un superfluo Ornamento porgono indizio di impudicizia.

Il provare una tale asserzione non torna certamente difficile, che i padri ne porgono le ragioni valide e convincenti.

S. Giovanni Grisostomo infatti colla solita sua eloquenza conferma una tale asserzione nella ottava Omelia, sopra la prima lettera di S. Paolo a Timoteo, c. 2: «*Per exteriorem cultum, dic'egli, et habitum-plures post se trahunt amatorum greges; atque hinc plurimae pessima saepius suspitione non carent: nihilque prorsus ejusmodi lucrantur ornatu, immo et plurimis ex ea opinione nocuerunt. Nam quemadmodum impudica, etiamsi pudica videatur, nihil ex hujusmodi opinione lucratur, quum Judex ille noster occulta omnia tunc in medium producturus sit, ita ne pudica quidem, si per habitum studeat adulterii opinione notari, quicquam ex pudicitiae opinione lucrata est. Plurimos enim et ipsa ex hac opinione violavit. Verum quid agam, inquires, si alius de me pessime suspicetur? Tu huic suspitioni per habitum, per incessum, atque aspectum, et omnem corporis motum fomenta ministras.*»

Tertulliano, nel *lib. de cult. femin.*, cap. 9, favella così: «*Hae pompae, quam de proximo curent luxuriae negotium, et obstrepant pudicitiae disciplinis, dignoscere in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituunt.*» Indi più diffusamente, al cap. 11, dice: «*Lenocinia formae numquam non prostituto corpori conjuncta, et debita etiam Scripturae suggerunt. Illa civitas valida, quae super septem montes, et plurimas aquas praesidet, quum prostitutae a Domino appellationem meruisset, quali habitu, appellationi suae comparata est? Sedet certe in purpura cum coccino et auro, et lapide pretioso, quae maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta et prostituta describi. Thamar illa, quia se expinzerat, et ornaverat, idcirco Judae suspitione visa est quaestui sedere; adeo quia sub velamento latebat, habitus qualitate quaestuariam mentientem, fecit ut quaestuariam, et voluit, et compellavit et passus est. Unde addiscimus adversus congressus etiam, et suspiciones impudicas*

providendum omnimodo esse. Quid enim castae mentis integritas in alterius suspitione maculatur? Quid speratur in me quod aversor? Cur non mores meos habitus pronuntiat?

Finalmente rigetta la scusa di quelle donne che vantano una interiore castità fra la pompa incontaminata, cap. 13: « *Aliqua forsan dicet: Non est necessarium hominibus probari: nec enim humanum testimonium requiro. Deus conspexitor cordis est. Scimus omnes, quum tamen quid idem per Apostolum dixerit, recordamur. PROBUM VESTRUM CORAM HOMINIBUS APPAREAT. Ad quid, nisi ut malitia ad res accessum omnino non habeat, et ut malis et exemplo, et testimonio sitis? Aut quid est LUCEANT OPERA VESTRA? Aut quid nos Dominus LUMEN TERRÆ vocavit; quid CIVITATI SUPRA MONTEM CONSTITUTÆ comparavit; si non relucemus inter tenebras, et extamus inter demersos? Pudicitiae christianae satis non est esse verum et videri. Tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab animo in habitum, et eructet a conscientia in superficiem, ut et foris inspiciat quasi suppellectilem suam, ut conveniat fidei continendae in perpetuum. Discutiendae enim sunt deliciae, quarum mollitiae et fluxu fidei virtus effeminari potest. Ceterum nescio an manus spathalio circumdari solita, in duritia catenae stupescere sustineat. Nescio an crus de periscelio in nervum se patiatur arctari. Timeo cervicem, ne margaritarum, et smaragdorū laqueis occupata locum spathae non det. Quare, benedictae, meditemur duriora, et non sentiemus Ne dilexeritis aurum, in quo prima delicta populi Israelis denotantur. Odisse debetis quod Judaeos perdidit, quod, derelinqentes Deum, adoraverunt. Jam tunc aurum ignis est esca. Ceterum tempora christianorum semper, et nunc, et maxime, non auro, sed ferro transiguntur: stolae martyriorum praeparantur . . . Proдите vos jam medicamentis et ornamentis extractae Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictae oculos verecundia, et os taciturnitates, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi. Caput maritis subjicite, et satis ornatae eritis. Manus lanae occupate, pedes domi figite, et plusquam in auro placebunt. Vestite vos serico prohibitis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiae. Taliter pigmentatae Deum habebitis amatorem. »*

Il Serafico di Siena S. Bernardino, nel *Serm.* 44, art. 2, cap. 1, sopra tale argomento parla così: «*Sunt et aliae plures, quae ad excusandas excusationes in peccatis dicunt se hoc agere, ut placeant viris suis, ne in alia detestabilia ruant, ut quasi quodam rete, vanitate utantur ad proprios retinendos viros, ne ab aliis cupiditatibus capiantur. Sed quaeso, responde mihi, o mulier, habitaculum vanitatis: quare hoc rete tibi expandis, ubi non est vir tuus? Cur potius te exornas, cum in publicum prodis, quam cum a viro tuo in secreto thalamo de propinquo videris? Ibi quasi quaedam regina compares; hic vero quasi quoddam carnis monstrum appares. Ibi nequaquam licet velle alteri viro placere; hic vero licitum est cum moderamine honestatis ob legitimam causam mariti gratiam quaerere. Sed similis es quibusdam, quae dum se fingunt silvestres columbas, et aves capere velle, domesticis, ut eas capiant, insidias ponunt Sunt etiam aliae plures, quae dicunt: Sic vult, sic praecipit conjux meus; parere necesse est. Quibus rationibus respondetur, quod si hoc placet, o mulier, viro tuo; non placet tamen hoc Domino tuo: Audi beatum Petrum, qui, Act. 5, dicit: **OPORTET MAGIS PLACERE DEO QUAM HOMINIBUS.** Sed audi et tu, vir vanus et excors; si vis conjugem tuam non esse meretricem, cur vis illam meretricem videri? Si forte autem illam amittere cupis, placeat Deo tuo, quod jam illam non amiseris; cum certum sit, quod ex hoc illius et tuam, et aliorum multorum animas perdis, sicut Ezech., cap. 13, scriptum est. **VIDENT VANA ET DEVIANT**, scilicet a tramite honestatis.»*

Di simil modo aveva prima di lui parlato Tertulliano, *lib. cit.*, c. 4: «*Quasi gentilibus dicam gentilibus, et communi praecepto alloquens vos: solis maritis vestris placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum alteri placere non curaveritis. Securae estote benedictae. Uxor nulla deformis est marito suo. Satis placuit, cum electa est, seu moribus, seu forma commendata. Ne quae vestrum putent, si temperaverint a compositione sui, odium et aversionem maritorum prosecuturas. Omnis maritus castitatis exactor est. Formam vero fidelis non expectat quia non iisdem bonis, quae gentiles putant, capimur. Infidelis contra, etiam suspectum habet, vel propter illam sceleratam in nos opinionem gentilium. Cui ergo pulchritudinem tuam nutris? Si fideli, non exigit; si gentili, simplicem non credit.»*

L' Ornamento non moderato delle donne, che attrae la lussuria, è peccato mortale.

Il Gaetano in un modo peculiare prende a disamina un tale argomento, nella 2, 2, quaest. 169, ad quintum dubium, e parla nel modo seguente: *Quoniam ars imitatur naturam, et mulier pulchra sua- ple natura est provocativa ad sui concupiscentiam, seu lasciviam, pro quanto scilicet facit ad mulieris pulchritudinem apparentem. Verum quia natura superat artem, et multo magis mulieris pulchritudo naturalis, quam artificialis provocativa est ad concupiscentiam mulieris; ideo sicut inculpabilis est omnis pulchritudo naturalis mulieris, ita inculpabilis secundum se est omnis pulchritudo artificialis; ita quod neutri secundum se imputandum est ad concupiscentiam mulieris. Et propterea in littera utrumque explicatur, et quod ornatus muliebria est provocativus virorum ad lasciviam, et quod esse provocativum non imputatur ornatus ad culpam, nisi ex alia culpa, puta ex intentione provocandi.*

Ad primum igitur dubium dicitur quod esse provocativum ad concupiscentiam quandoque est nomen vitii, quandoque est nomen conditionis naturalis. Mulier namque pulchra est naturaliter provocativa ad concupiscentiam sui, et impudica est vitiose provocativa ad concupiscentiam sui. Et quia Ornatus muliebris secundum se non est provocativus ad lasciviam, nisi sicut pulchritudo, ideo non est in specie vitii provocativi ad concupiscentiam secundum se, sicut nec pulchritudo naturalis, sed ex intentione utentis ornatu, seu pulchritudine ad provocandum. Et propterea nullus Ornatus mulieris ex hac ratione, quia provocativus est ad lasciviam, est secundum se peccatum mortale.

Ad objectionem autem in oppositum quod hujusmodi excessus, cum novitate praesertim, est contra dilectionem proximi, quia coguntur alii ad hujusmodi sumptus: respondetur, quod quum quilibet sequens malum exemplum novitatis, seu excessus, voluntarie inferat sibi ipsi hoc damnum novi sumptus, et hoc sit praeter intentionem primi ornantis se novo excessu ut sic: nulla injustitia committitur contra proximum, nullus actus fit contra charitatem proximi per se loquendo. Graviter tamen

peccant primi utentes novitatibus occasionaliter damnosis proximo, praeferentes suae vanitatis affectum proximorum necessitati. Quia tamen excusare se possunt dicendo: Non imitetur nos qui non potest, qui non vult: faciat unusquisque sumptus juxta suas facultates, et non sit stultus: ideo nec contra charitatem, nec contra justitiam actus iste est; valde tamen reprehensibilis propter multas deformitates, et graves quas habet, dum et consuetudo violatur, et occasio damni datur, et inanis gloria, ac stultitia non sine scandalo committitur.

Ad quintum dubium de imputatione ad culpam dicitur, quod quum unumquodque secundum propriam causam judicandum sit, et non secundum occasionem; propria autem causa sit voluntas concupiscentis viri; mulier autem ornans se vane, nec per se, nec per accidens volens se concupisci, non causa, sed occasio tantum sit ruinae alterius; non est mulieri imputandus casus viri concupiscentis. Et quamvis dat mulier operam rei illicitae, ex ejus tamen opere non causatur ruina alterius, sed ex mala voluntate virorum: et propterea eventus iste remotus et non intentus, non est ei imputandus, sicut nec pulcherrimae mulieri vane egredienti domo imputandum est peccatum concupiscentium eam, quam non concupiscerent, si domi fuisset. Et scias, quod haec omnia supra dicta, ut toties expressum est, intelliguntur de ornatu secundum se. »

Questa opinione del Gaetano fu abbracciata dal Lessio, *l. 4, c. 4, dub. 14*; dal Layman, *Theol. Moral., lib. 2, tract. 3, cap. 13*; dal Navarro, in *Sum., cap. 23, n. 29*; dal Castropalao, *tract. 6, disp. 6, punt. 7*; dal Sanchez, *lib. 1, in Decalog., cap. 6, n. 17*; dal Diana, *tract. 5, resolu. 9*. Il padre Alberto de Alberti, *de Orn. mul., disc. 1, cap. 7, §. 5*, contende niuno dei sumenzionati teologi contrariare allo stabilito principio, poichè dice: « *De ornatu leviter tantum ad venerem incitante loquentur.* » Ed oh fosse ciò vero! esclama il Concina, *dis. 9 de Scandalo*. Il Gaetano poi parla non solo del lieve, ma ancora del notevole eccesso nell'ornamento muliebre, che provoca alla libidine.

Adunque prosegue il Concina, *loc. cit.*, il Gaetano difende due cose, e che l'ornamento muliebre ecciti alla lascivia, e che l'eccesso anche notevole di un tale ornamento sia unicamente colpa lieve. Negli parla di quel solo grave eccesso di ornamento, che deriva da un prezzo smodato, ma parla unicamente di quel superfluo Ornamento,

il quale di sua natura, siccome la bellezza naturale delle donne, aggiunge stimoli alla lascivia. In questo modo pertanto la dottrina del Gaetano non può colla nostra convenire; ma le si può unicamente dare una benigna interpretazione, in quanto egli riguarda cioè l'Ornamento muliebri *secundum se* segregato da ogni circostanza, cioè dalla prava intenzione, dal disprezzo della salute del prossimo, dalla perdita delle anime che ne deriva. La quale spiegazione e limitazione egli stesso inculca e ripete. È questo pertanto, siccome io stimo, l'unico mezzo con cui in buon senso si può intendere la dottrina del Gaetano.

Ma le circostanze si aggiungano che lo smodato Ornamento muliebri continuamente accompagnano, si esaminino i danni cui altri con tal modo le donne espongono; non si vede forse a chiara luce esservi sempre in così fatta foggia di adornarsi la colpa mortale?

Lasciamo pertanto in non cale i moralisti, volgiamo ai padri della Chiesa lo sguardo, facilmente si scoprirà la verità della enunciata proposizione, ned alcuno avrà di che potervi obbiettare.

Colla autorità dei Padri e dei Teologi si prova l'Ornamento smoderato delle donne non andar privo di peccato mortale.

Tertulliano, prendendo ad esame la ragione tratta dalla bellezza naturale, di cui poi il Gaetano se ne servi per difendere l'Ornamento muliebri, totalmente la rigetta nel *lib. de cultu femin., cap. 2*: «*Cum igitur, dice egli, et nostra, et aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, jam non tantum confictae et elaboratae pulchritudinis suggestum recusandum a vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione et incuria, ut proinde oculorum incurisibus molestum. Nam, etsi accusandus decor non est ut felicitas corporis, ut divinae plasticae accessio, ut animae aliqua vestis urbana; timendus tamen est vel propter injuriam, et violentiam spectatorum, quam etiam pater fidei Abraham in uxoris suae specie pertimuit, et sororem mentitus Saram, salutem contumelia redemit.*» Poi al *cap. 1 e 2* descrive le tentazioni che eccitano i scandali che arrecano, e convince

violare l'altissimo precetto della carità. « *Quota denique est, quae nec placere quidem extraneis concupiscat, quae non velit idcirco se expingere, ut neget appetitum? Quamquam et hoc gentili pudicitiae familiare sit non delinquere, attamen velle; vel etiam nolle, attamen non denegare . . . Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus. Quid igitur in te excitas malum istud? Quid invitas cujus te profiteris extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus; quae nonnumquam (quod Deus a suis abigat) instando proficiunt, certe vel spiritum scandalo permovent . . . Perit enim ille simul in tua forma, si concupierit, et admisit jam in animo quod concupivit, et facta tu es gladius illi . . . Expingamus nos, ut alteri pereant: ubi est ergo: **DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM?** Nolite vestra tantum curare, sed et alterius. »*

Da un altro triplice principio, cioè dell' ambizione, prostituzione e prodigalità, Tertulliano imprende ad esecrare l'Ornamento muliebre che dalla cultura distingue nel lib. de *Habitu muliebri*, c. 4: « *Habitus feminae duplicem speciem circumfert, cultum et ornatum. Cultum dicimus quem mundum muliebrem vocant; Ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, et argento, et gemmis, et vestibus deputatur; iste in cura capilli, cutis, et earum partium corporis, quae oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis.* » Ed al cap. 9, soggiunge: « *Brevissimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies sestertium inseritur. Sallus, et infulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes kalendarium expandunt, et sinistra per singulos digitos de sacris singulis ludit. Haec sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno muliebri corpusculo bajulare.* »

Finalmente, Tertulliano, quasi indovino di ciò che trassero in luce i Probabilisti tutte le loro obbiezioni si fa a confutare, ed essi essere subbietti degni di derisione conchiude. Così infatti nel l. cit., al c. 2. « *Haec qualia sint, interim jam ex doctorum suorum qualitate, et conditione pronuntiari potest, quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatore, nihil ad timorem Dei desertores spiritus aut monstrare potuerunt, aut praestare. Si doctrinae dicendae sunt, mali magistri, male docuerint necesse esset. Si mercedes pro libidine; nullius*

*rei turpis merces decora est. Quid autem tanti fuit ista monstrare, si-
ve conferre? Utrum ne mulieres sine materiis splendoris, et sine inge-
niis decoris placere non possent hominibus, quae adhuc incultae et in-
compositae et, ut ita dixerim, crudae, ac rudes angelos moverunt? An
ne sordidi, et per gratuitum usum contumeliosi amatores viderentur, si
nihil foeminis in connubium allectis contulissent? . . . Si tanta in terris
moraretur fides quanta merces ejus expectatur in coelis, nulla omnino
vestrum, sorores dilectissimae, ex quo Deum vivum cognovisset, et de
sua, idest feminae conditione, didicisset, laetiores habitum, ne dicam
gloriosiorem, appetisset, ut non magis in sordibus ageret, et squallorem
potius affectaret, ipsam se circum ferens Evam lugentem, et poenitentem,
quo plentius id quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, et
invidiam perditionis humanae) omnis satisfactionis habitu expiaret. IN
DOLORIBUS, ET ANXIETATIBUS PARIES, MULIER. . . .
Et Evanile esse noscis? Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc
saeculo: vivat et reatus necesse est. Tu es diaboli janua, tu es arboris
illius resignatrix, tu es divinae legis prima desertrix, tu es quae eum
suasisti quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem,
tam facile elisisti. Propter tuum meritum, idest mortem, etiam filius
Dei mori habuit, et adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tu-
nicas? »*

S. Giovanni Grisostomo, riprovando il modo di ornarsi sconvene-
vole, la scusa riprova che esse adducono di operare così per piacere
ai loro mariti. Così scriv' egli infatti intorno al Salm. 48: « *Ubinam
sunt hodiernae mulieres? Comparemus illas cum Sara. Num talia man-
data excipiunt talia opera? Profer mihi Ornatus cupidae mulieris. Ma-
num, eamque extrinsecus inauratam vides, intus autem quasi obsessam.
Quot, quaeso, pauperum praedam manus tua gestat? Profer manum
tuam, ostende illam. Quo induitur? rapina . . . Quid facis? Te comis
et ornas, mulier? Cui vis placere? Viro ne tuo? Malum studium, si
viro sic placitura es; si sic studes ipsi placere. Quomodo igitur place-
bo? Continentia. Sed qua ratione placebo? Modestia philosophica, man-
suetudine, charitate, concordia, consensu. Haec omnia ornamenta tua, mu-
lier. Hae virtutes tuae concordiam pariunt; illi vero Ornatus, ut placeas,
non efficiunt, verum id praestant ut viro oneris sis . . . Ut autem*

discas te viro non placere, domi illa deponis, et ecclesia illis circum ornaris. Si ut viro placeris, domi illa gestares. Verum, ut dixi, in ecclesiam ingrederis auratis manibus et collo. Si venerit Paulus, terribilis simul ille, et amabilis, terribilis peccatoribus, amabilis pie viventibus, clamabit, et sic dicet: MULIERES OPORTET ORNARE SE NON AURO, ET MARGARITIS, ET VESTE PRETIOSA Quid tibi utilitatis offert aurum, o mulier? Cur vestes sericas, et equos habes aureis fraenis, mulasque ornatu decoratas? Mula infra ornatur, aurum integumento tenetur. Pecunias mulae rationis expertes circumferunt, quas aurea frena habent; mulae rationis expertes ornantur; et pauper fame confectus pro foribus tuis sedet, Christusque fame necatur. O summam dementiam! Quae defensio!

In un altro Sermone più acutamente declama contro questo lusso muliebre, siccome consentanea a meretrici, e non a caste donne. « *Unde enim, dic mihi, poterimus postea talem virginem ordine illarum, et societate eximere, quando et ipsa idem facit quod illae? Quando scilicet, ut adolescentum corda advolent, superba incedit, et intemperans eadem pharmaca terit? Quando eosdem letales succos miscet, eundemque parat pulverem? Sed non dicit: Heus, adesto, amore implicemur: nec dicit: Aspersi cubitum meum myrrha, aloe et cinnamomo. Utinam accubitum et lectum et vestes, et corpus: illae enim domi escam occultant, tu ubique laqueum circumfers, et expandis voluptatis alas obambulans in foro. Sed non dixisti, nec contulisti verba illa meretricia: Heus, amore involvamur. Non locuta es ex lingua; sed locuta es gressu: non locuta es voce, sed locuta es oculis clarius quam voce. An ideo excusatam te putas, quod non vocaveris, non obtuleris te ipsam? Neque sic a peccato liberaris. Est enim et haec quaedam fornicationis species. Pura mansisti ab injuria corporis quidem, sed non animae; et completum a te peccatum, etiamsi non per coitum, sed per aspectum. Cujus enim gratia vocas praetereuntes? Cur accendis ignem? Quomodo te puram putas a peccato, cum totum illud opus operata sis?* »

S. Girolamo nella sua Lettera ad Eustochio scrive così: « *Si vir, vel mulier se ornaverit, et cultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnatum, judicium tamen patietur aeternum: quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.* »

S. Cipriano Martire, nel *lib. de discipl. et habit. virg.*, scrive: «*Si tu te sumptuosius comas; et per publicum notabiliter incedes, oculos in te juventutis illicias, et suspiria adolescentum. post te trahas, concupiscendi tibi dinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, et veluti gladium te, et venenum videntibus praebeas: excusari non potes, quasi mente casta sis et pudica. Redarguit te cultus improbus, et impudicus Ornatus; nec computari jam potes inter puellas et virgines Christi, quae sic vivis, ut possis adamari. Locupletem te dicis et divitem. Sed jactare divitias suas virginem non decet... Divitem te sentiant pauperes, locupletem te sentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo foenera; Christum ciba... Etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, ut veluti gladium te, et venenum videntibus praebeas; excusari non potes, quasi mente casta sis et pudica. Redarguit te cultus improbus, et impudicus Ornatus.*»

Che se sopra una tal materia interroghiamo l'Angelico, guida del coro dei Teologi, egli dirà, 2, 2, quaest. 169, art. 2: «*Si hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.*» Indi, 2, 2, quaest. 43, art. 4, prosiegue: «*Scandalum autem activum, si sit per accidens, potest esse quandoque quidem peccatum veniale, puta quum aliquis vel actum venialis peccati, vel actum qui non est secundum se peccatum, sed habet aliquam speciem mali, cum aliqua levi indiscretionem committit. Quandoque vero est peccatum mortale, sive quando committit actum peccati mortalis, sive quando contemnit salutem proximi, et si pro ea conservanda non praetermittat aliquid facere quod sibi libuerit.*»

C A S O 1.

Fredegonda, sposa, è consueta di ornarsi secondo il costume del tempo e del paese affine di piacere maggiormente al suo marito. Pecca ella forse così per un tal fine diportandosi?

Non pensiamo che pecehi Fredegonda in un tal caso. S. Tommaso infatti discorre così, 2, 2, quaest. 169, art. 2, ad 4: «*Quia ergo*

mulieres licite se possunt ornare; vel ut conservent decentiam sui status, vel aliquid etiam superaddere, ut placeant viris; consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis: nisi forte inveniundo aliqua superflua et curiosa.

S. TOMMASO.

C A S O 2.°

Valentina, ricercata in isposa da Alessandro, si adorna splendidamente secondo il suo stato, affine di piacere al giovane. Devesi forse riprendere di peccato?

Questa ragazza, che si adornò non con intenzione di eccitare in Alessandro un impuro amore, ma soltanto per piacergli, affinchè la prenda in moglie, nè si rivolga ad amare un' altra, non devesi di peccato incolpare. Così la pensa S. Tommaso, il quale, in *cap. 3 Isaiae in fin.*, dopo aver detto non peccar quella donna, che si adorna secondo il proprio stato e la consuetudine generale del paese, soggiunge che non pecca parimenti quella giovane che si adorna per piacere al futuro marito: *• Similiter. dice, si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel quem accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur (non peccat).*

S. TOMMASO.

C A S O 3.°

Fiorenza, vedova di un conte, non ha volontà di contrarre un secondo matrimonio; pure segue ad ornarsi nel modo stesso con cui faceva sendo vivo il suo marito. Pecca ella forse, oppure la scusa la sua nobiltà?

A questa interrogazione ne darà risposta l' Angelico, 2, 2, q. 169, art. 2, in corp.: *• Illae autem mulieres, dice S. Tommaso, quae viros non habent, nec volunt habere, et sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum, quia hac intentione se orment, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam; non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.* Lo che prova coll' autorità di S. Agostino, che scrive a Possidonio, di cui riferisce le seguenti parole: *• Nolo ut*

de Ornamentis auri, vel vestis praepoperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eis, qui neque conjugati sunt, neque conjugari cupientes cogitare debent quomodo placeant Deo. » Lo stesso Angelico Dottore, riferito il seguente luogo dell' Apostolo, 1 ad Timot., 2, 9: « *Similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa,* » conchiude nel modo che segue: « *Per quod datur intelligi, quod sobrius et moderatus Ornatus non prohibetur mulieribus; sed superfluus et inverecondus et impudicus.* »

S. TOMMASO.

OSSERVANZA. *Ved. PIETÀ.*



OSTIARIATO. *Ved. ORDINE SACRO.*



OSTINAZIONE



È questo un vizio che per eccesso si oppone alla costanza, per lo quale, immobilmente, ma contro ragione, si è attaccato alla propria opinione; ed anche con altro nome si addimanda *Pertinacia*, di cui si vedranno i pratici casi.

FINE DEL VOLUME QUINDICESIMO

